



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)





24
05


L. III
g.

Th. 4505,









COGITATIONES,

Sive

CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

Pro singulis anni diebus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO NEPVEU
SOCIETATIS JESU,
Latinæ redditæ,

A

P. ANDREA LEUKART
Ejusdem Societatis Sacerdote.

TRIMESTRE QUARTUM.

Complectens

Octobrem, Novembrem, Decembrem.

Cum gratia, & Privilegio Sac. Cæsar. Majest.

Permissuque Superiorum.

Collegii Sacerdotum Paderbornensis au vicio
MONACHII,

Sumptibus JOANNIS JACOBI REMY Bibliopola.

Typis Mathiæ Riedl, Anno M. DCC. IX.



I N D E X
CAPITUM
Hoc quarto Volumi-
ne contentorum.

October.

- Dies 1.* De fine hominis. De me-
dijs ad hunc finem pertingendi.
Dies 2. De pietate erga S. Ange-
lum Custodem.
Dies 3. De salutis desiderio.
Dies 4. De gradibus humilitatis.
Dies 5. Quam utilis sit meditatio
mortis.
Dies 6. De iudicio. De sententia
Judicis in gratiam Electorum.
Dies 7. De Inferno.
Dies 8. Incitamenta, & affectus
contritionis.

Index

- Dies 9.* De peccato libidinis.
Dies 10. De contemptu, & fuga mundi.
Dies 11. De peccato Acediæ.
Dies 12. De spectaculis.
Dies 13. De dubio, quod habere debet anima remissa, an sit in statu gratiæ.
Dies 14. Deus suum in nos amorem testatur, cum nobis adversa submittit.
Dies 15. Melius nunquam nostrum in Deum amorem testamur, quam si calamitates cum gaudio amplectamur.
Dies 16. Frequentes in peccatum relapsus pœnitentiam ferè impossibilem reddunt.
Dies 17. De Examine Conscientiæ.
Dies 18. De modo officia sua addeundi, & obeundi.
Dies 19. De vigilantia Christiana.
Dies 20. De Verbo DEI.

Dies

Capitulum.

- Dies 21.* De necessitate Medita-
tionis.
- Dies 22.* De conformitate cum in-
terno animi sensu JESU Christi.
- Dies 23.* De pietate erga Beatissi-
mam Virginem.
- Dies 24.* De castitate.
- Dies 25.* De Zelo.
- Dies 26.* De exercitio zeli.
- Dies 27.* De Visitatione Sanctissi-
mi Sacramenti.
- Dies 28.* De Amore DEI.
- Dies 29.* Christus est pastor bo-
nus.
- Dies 30.* De providentia DEI.
- Dies 31.* De sanctitate DEI.

November.

- Dies 1.* De Festo omnium San-
ctorum.
- Dies 2.* De purgatorio.
- Dies 3.* De subtractione gratiæ.
- Dies 4.* De Mortificatione.
- Dies 5.* De fine hominis, & me-
dijs

b 2

dijs

Index

dijs ad hunc finem pertingen-
di.

Dies 6. De exiguo numero illo-
rum, qui salutem æternam con-
sequuntur.

Dies 7. Pœnitentia usque ad mor-
tem non differenda.

Dies 8. De ratione, quam DEO
reddituri sumus de naturæ & gra-
tiæ donis, quæ ab ipso accep-
imus.

Dies 9. De odio, quo Deus pecca-
tum prosequitur.

Dies 10. De fraudibus, quibus
dæmon utitur, ut imminuat hor-
rorem, quo peccatum libidinis
aversari debemus.

Dies 11. De otio.

Dies 12. De modo se occupandi.

Dies 13. De fervore in cultu di-
vino.

Dies 14. De tentationibus.

Dies 15. De fuga occasionum.

Dies 16. De tribus defectibus, qui
in

Capitulum.

in bonas nostras actiones irrepunt.

Dies 17. De felicitate hominis probi in ipsismet adversis.

Dies 18. Infelicitas peccatoris in ipsa prosperitate.

Dies 19. DEUS in omnibus querendus.

Dies 20. De cura, quam parentes gerere debent, liberos suos bene edueandi.

Dies 21. De Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis.

Dies 22. Praxis ad S. Communionem.

Dies 23. De gratiarum actione post communionem.

Dies 24. Sine conformatione cum Christo salus æterna non obtinetur.

Dies 25. De prærogativis humilitatis.

Dies 26. Praxis charitatis erga proximum.

Index

Dies 27. De felicitate animæ, quæ
ab omnibus separata totam se
DEO committit.

Dies 28. Christus hominum re-
conciliator est.

Dies 29. De collectione animi.

Dies 30. De magnitudine DEI.

December.

Dies 1. De modo tempus Adven-
tûs transigendi.

Dies 2. De fine hominis. De usu
mediorum ad hunc finem obti-
nendum.

Dies 3. De proprietatibus veri
Zeli.

Dies 4. De pretio animæ nostræ.

Dies 5. De desiderio mortis. Mors
vero Christiano desideranda.

Dies 6. De iudicio extremo. Mi-
sericordia DEI incitamentum
erit, & mensura rigoris ipsius in
iudicio.

Dies

Capitulum.

- Dies 7.* De Verme conscientia
damnatorum.
- Dies 8.* De Conceptione Beatissi-
mæ Virginis.
- Dies 9.* De peccato habituali.
- Dies 10.* De astutia diaboli in oc-
cultandis laqueis, quos castitati
tendit.
- Dies 11.* Quomodo evitari possint
laquei Asmodæi.
- Dies 12.* De restitutione boni a-
lieni.
- Dies 13.* De exercitio pœnitentiæ.
- Dies 14.* De cordis partitione.
- Dies 15.* De infelicitate peccato-
ris in rebus adversis.
- Dies 16.* De examine particulari.
- Dies 17.* De sacrificio Missæ.
- Dies 18.* De obtentibus, qui nos
à sacra Synaxi frequentanda a-
vocant.
- Dies 19.* De lumine gratiæ.
- Dies 20.* De ratione casus adver-
sos rectè sufferendi.

Index Capitum.

- Dies 21.* Exemplum Christi omnia nobis facilia reddere potest.
Dies 22. De humilitate, suique despicientia.
Dies 23. De necessitate Mortificationis.
Dies 24. De oratione.
Dies 25. De Nativitate Domini nostri JESU Christi.
Dies 26. De dilectione inimicorum.
Dies 27. De Præsepio JESU Christi.
Dies 28. Affectus amoris in Deum.
Dies 29. De Paradiso cœlesti, & mercede Sanctorum.
Dies 30. De sapientia DEI.
Pro ultimo anni die. Quî reparari possit tempus perditum.

F I N I S
Indicis Capitum.

CON-

CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

pro singulis Anni diebus.

O C T O B E R.

DIES I.

De Fine Hominis.

*De Medijs ad hunc Finem Pertingen-
di.*

I.



Uemadmodum facti sumus
propter Deum, & ut ei
serviamus, sic creaturæ fa-
ctæ sunt, ut serviant nobis,
simulque nos juvent ad

Deo serviendum, hac enim lege propter
nos factæ sunt: à jussis Dei hac super re nun-
quam declinant, sed munere suo erga nos
semper funguntur. An nos id ipsum erga
Deum semper agimus? Heu! quàm lon-
gè ab hoc absumus? earum nobiscum agen-

A

di

October,

di ratio continuum nobis documentum est, è quo discamus, qui erga Deum nos gerere debeamus; vel exprobratio, si hac in re muneri nostro defuerimus. Væ nobis, si ex hoc documento non proficimus, si hac exprobratione non movemur: illud enim omni nos excusatione indignos reddet, si fructum ex eo non capiamus. Hæc exprobratio in nostri damnationem vertetur, si ex ea non resipiscamus. Et sanè infelicitate hac digni sumus, nisi eam pœnitentiâ prævertamus.

II. Non invenitur ulla Creatura, quæ nobis non suppeditet vel lumen, Deum cognoscendi, vel medium ad eum perveniendi, vel incitamentum ad eum amandum. Sed pro dolor! animi nostri perversitas, pravæque ejusdem affectiones hæc in nobis lumina extinguunt, media in obstacula, & amanti, gratique animi motiva in turpissimam beneficiorum oblivionem convertunt. Omnino, Domine, Creaturas has invitas detinemus in servitute, quod ipsis abutamur, non minùs probrosa, quàm difficili. Hæ ingemiscunt, ut ait Apostolus, dum vident, se cogi ad serviendum vanitati; hæ, cum non essent creatæ, nisi, ut nos ad veritatem, nimirum ad re perducerent, contra suam propensionem nobis obe-

Rom. 8. 22.

obediunt, ut morem gerant illi, *cuj nos* *October.*
 immorigeri sumus, tam impiè rebus creatis
 abutendo.

III. Sed veniet tempus, quo probè
 scient excutere jugum, quod ipsis imposui-
 mus; quo se eripient ex iniqua servitute,
 in qua invititas retinuimus; vindicabunt se,
 & unà Creatorem suum de injurijs, quas i-
 p̄s intulimus, invertendo ordinem, à Deo
 constitutum, easque cogendo servire ad i-
 gnominiam, communi nostro Domino
 creandam. Illæ, quæ factæ non erant,
 nisi ad eum honorandum, armabunt, &
 animabunt se, inquit Sapiens, ad vindi-
 ctam contra hos insanos, qui Deos sibi *Sap. 5. 21.*
 elegère creaturas, non nisi eum in finem fa-
 ctas, ut eos ad Deum agnoscendum diri-
 gerent, eisque ad ipsum honorandum a-
 descent. Illæ collatis viribus peccatorem
 impugnabunt: *Pugnabit cum illo orbis terra-
 rum contra insensatos.* Præveniamus proin-
 justum earum furorem, vitam nostram e-
 mendando, & pœnitentiæ instrumenta fa-
 ciendo ex hisce rebus creatis, quæ scelerum
 nostrorum instrumenta toties fuère.

Petamus à Deo veniam, quòd rebus creatis a-
 busi, ex ipsius beneficijs peccandi ansam sum-
 pserimus. Ad sarcinendas hasce pravitates statua-
 mus

A 2

October. *mus in posterum eas ad mortificationem nostram,
& pœnitentiam agendam adhibere.*

Omnis Creatura ingemiscit, & parturit
usq; ad huc. Vanitati enim Creatura subje-
cta est non volens. *Rom. 8. v. 22.*

Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis
sunt, undique mihi dicunt, ut amem te.
Aug. Confess. c. 10.

DIES II.

De Pietate erga S. Angelum Custodem.

I.

Cùm Ecclesia festam diem S. Angeli tu-
telaris celebret, æquum est, ut eadem
cum illa cogitationes concipiamus, o-
mnèsque vires, ejus honori impendamus.
Habere nos oportet, inquit S. Bernardus,
magnam reverentiam in ipsius præsentia. Ad
id ejus excellentia, dignitas, & sanctitas
nos obligant. Majestas Regum tantam
nobis imprimat observantiam, ut vel sola
eorum præsentia nos in officio contineat.
Ille, inquit Servator, qui in cælo minimus
est, major est quovis, qui in terra maximus
est. Angelorum postremus maximis or-
bis

bis Regibus sublimior est : quantam igitur Otober.
illi reverentiam exhibere nos decet , si
cogitemus, eum semper Deo simul , & no-
bis adesse præsentem? si animi tui motus
ad indignum quoddam facinus te impellit,
imaginare tibi, inquiebat sapientum qui-
dam, virum magnæ virtutis, & authorita-
ris tibi adstare: hæc sola cogitatio te coër-
cebit. Consilium bonum hoc est; effica-
cius tamen foret, si imaginatio mea virum
istum verè mihi præsentem sisteret. Sed
Angelus Custodiendo mihi deputatus ,
Spiritus ille tam purus mihi verè præsens
adstat: qui igitur coram ipso agere ausim,
quod coram omnium mortalium postremo
non auderem? credimusne, eum tanto
contemptui non indignari? an non mala
inde securura formidamus?

II. Obsequia, quæ nobis Angelus no-
ster tutelaris præstat, obligant nos ad gra-
tam, continuamque beneficiorum memo-
riam. *Devotionem pro benevolentia.* Quan-
tam is nostri curam non gerit, quæ officia
nobis non exhibet? cælum relinquit, ut
nobiscum sit: hic exilij locus, carcer hic,
ei palatium fit, & Paradisus cælestis, id-
circo, quod ipsi occasionem nobis ser-
viendi præbeat. A sexcentis periculis
nos tuctur; è mille malis nos eripit, omnis

October.

generis bona nobis accerfit, preces nostras Domino offert, & ab ipso gratias ad nos defert. Adversus hostes nostros visibiles, & non visibiles nos defendit, manibus suis nos portat, lapsus nostros impedit; & si post omnes ejus sollicitudines cadimus, ad denuò surgendum nos jüvat; Deum semper intuetur, neque oculos à nobis avertit; cum Deo plenissimus eodem se occupet, eoque fruatur, non minùs tamen se nobis impendit, non minùs nobis attendit; gressus nostros observat, & dirigit, ab erroribus nos avocat; & postquam toto vitæ tempore nos direxit, in mortis etiam momento nobis assistit, ut, quemadmodum socius nostrorum fuit laborum, sic & nos felicitatis ejus consortes fiamus. Quàm gratum ergo animum pro tanto beneficiorum numero ei exhibere debemus? annon eosdem animi sensus concipere debemus, quos Tobias erga Angelum Raphaëlem; cum illi non minùs obstricti simus?

III. Ipsius jussis submittere nos penitus debemus, perfectè dociles nos exhibere ipsius admonitionibus, magnam habere confidentiam in ipsius protectione. *Fiduciam pro custodia.* Si amicum haberemus potentem, prudentem, fidum, commodorum nostrorum summopere studiosum, an
non

non in miserijs nostris ad ipsum confuge- **October.**
remus? an non in dubijs nostris eum con-
suleremus? an non ejus consilia, ceu leges
amplecteremur? an non obligatos nos ei
crederemus? an non cum gaudio ei
obediremus? Angelus noster tutelaris fi-
dus ille amicus est, & omnibus hisce doti-
bus liberalissimè instructus. An non igi-
tur eodem modo nos erga ipsum gerere de-
bemus? si bonum aliquem morum senti-
mus, qui nos ad bonum animat, vel à ma-
lo avocat; est is inspiratio ab ipso nobis
suggesta, est consilium ad salutem nostram
ab ipso nobis datum: & ipsum negligimus,
imò & repellimus, ut suggestioni morem
geramus dæmonis, qui aliud non molitur,
quàm ut socios supplicij sui nos faciat, dum
nos rebellionis suæ complices reddit? cui-
nam majorem inferimus injuriam? S. An-
gelo tutelari, an nobis? annon metuimus,
ne ad summendam de nobis vindictam,
diaboli nos potestati relinquat, quem ipsi
præhabemus?

*Veniam à bono tuo Angelo pete, quòd minùs reve-
rentem, gratum, & summissum te hætenus eidem
exhibueris; vitamque tuam emendare statue.*

Observe eum, & audi vocem ejus, nec
contemnendum putes, quia non dimittet
cum peccaveris. *Exodi 23. 21.*

October. Angelo tuo reverentiam habe; tu ne audeas illo præfente, quod vidente me non auderes. *Bern. Serm. in Psal. qui habitat.*

DIES III.

De Salutis Desiderio.

I.

AD salutem æternam consequendam fervore opus est, plusque facere nos oportet, quam facere obligemur. Qui præstare plus non vult, quam id duntaxat, quod præcisè ad salutem obtinendam præstare debet, nunquam præstabit totum id, quod debet. Qui Dei solummodò præcepta servare cupit, ea non servabit. Cujus consilia ulterius non tendunt, quam, ut peccata mortifera vitet, de vitijs levioribus vitandis parùm sollicitus, brevè in peccatum mortiferum labetur. Et qui non volet ullum opus gratuitum facere, nunquam ea faciet, ad quæ facienda obligatur. Sunt rerum concursus, in quibus consilia migrant in præcepta, ut proin plura præstare nos oporteat, quam teneamur, si habiles evadere velimus ad ea facienda, quæ debemus. Hæc omnia in speculatione paradoxa, sed in praxi verissima sunt.

II. Si

II. Si Deo nihil penitus dare velis, præ- October.
ter id, quod debet, ipse se tibi conforma-
bit, dabitque tibi, quod debet, pro sua in-
promissis servandis fidelitate. At vae ti-
bi, si id fiat: quid enim tibi debet? gratias
communes, gratias sufficientes; has tibi
impertiet. Atque harum ope salutem qui-
dem consequi poteris: num verò eandem
consequeris? cum enim tam debilis, iners,
& depravatus sis, abundè ostendis, te hujc
consequendæ non satis allaboraturum.
Certæ namque res, & circumstantiæ, ten-
tationes violentæ, occasiones periculi ple-
næ non rarò concurrunt: quàm difficile est,
sine gratia quadam forti, & extraordinaria
ijs non succumbere? hæ gratiæ extraordi-
nariæ sunt effectus teneri cujusdam, & sin-
gularis amoris, liberalitatis inusitatae. Ex-
hibebitne Deus peculiarem hunc amorem,
insolitam hanc liberalitatem hominibus,
qui erga Deum sordidè parci sunt, qui ul-
tra obligationis terminos progredi no-
lunt? annon iniquum est, eam ab ipso pe-
tere? an non temerarium, eam sperare?

III. Cor nostrum arx quodammodò est
munita, quam diabolus obsidet, & expu- 1. Petri 5.
gnare desiderat: circuit, quærens, quem de- 28.
voret. Priùs, quàm mœnia fuère diruta,
assultu locus non capiatur: si verò hostis

A §

in-

October. interiorē arcis munitiōē statim aggredi possit nullis exterioribus operibus retentus, arx pro desperata, & quasi capta habetur. Ut ergo arx diu progugnetur, pro operibus exterioribus generosè certandum est, pluráque defendenda, quàm retinendi spes sit. Quamdiu intra solam obligationem te continebis, & eam fortiter, constantérque retines, dæmon cor tuum non expugnabit: at si foris id munitum non sit, nec à lapsibus levioribus se tueatur, nec nisi à gravioribus sibi caveat, citò in hos labetur. Hostis cor vix non occupavit, neq; id diu ampliùs se defendet, ubi de loci deditiōe ad colloquiũ venitur, sive multũ, sive parũ disceptetur, arx dedita jam est.

Inquire in teipsum, ut cognoscas, an erga Deum parcus non sis? annon intra sola obligationis opera continere te velis. Si animo sic comparatus es; time: brevè enim etiam in his deficies; cum adeò debilis, & ad malum pronus sis, inter tam gravia pericula gratijs singularibus tibi opus est; fac igitur propter Deum peculiare quid, ut illas merearis.

Cum bono bonus eris, cum perverso perverteris. *Psal. 17. 27.*

Iniquum petas, ut justum feras.

DIES

DIES IV.

De Gradibus Humilitatis.

I.

Humilitas est virtus, quæ ob perfectam cognitionem, quam nobis de nobismetipsis præbet, impedit, quò minùs nos magni faciamus, & extollamus, unáque suppressit, vel moderatur desiderium, quo ab alijs magni fieri, honorarique cupimus. Hæc virtus plures habet gradus. Primus in eo consistit, ut non modò coram Deo agnoscamus, nos nihil esse, nihil ex nobismetipsis habere, præter imbecillitates, & misérias, nihil posse, nisi peccare, & nos ipsos perdere; sed insuper ut hanc miseriam, & impotentiam clarè, & cum pio quodam affectu perspiciamus, & in harum contemplatione nobis non complaceamus, sed etiam interiùs nos contemnamus; ita, ut nihil nobis tribuamus, de nulla re superbiamus, nullius hominis æstimationem quæramus, sed eà nos indignos judicemus, ut laudes, quibus ornatur, graviter feramus, idcirco, quòd iniquè in nos collatas esse credamus; ut continuò ad nostri confusionem, & depressionem coram Deo pa-

October.

rati sumus, lætique, quòd Deus sit omnia, nos verò nihil. Primus iste humilitatis gradus inerat S. Francisco, quem hodie veneratur Ecclesia; qui, cum vir tam sanctus esset, maximum se peccatorem reputabat; siquidem in se non considerabat, nisi id, quod ex se, non verò id, quod ex Deo erat. Et tu, qui peccatis obnoxius es, nõnne sanctus haberi cupis, quòd scelera gravia non committas?

II. Alter humilitatis gradus in hoc versatur, ut contemptum moderatè feramus. Si contemptum spectemus, ut verum malum, æquo animo propter Deum ferendus est. Si, ut sæpè accidit, malum non est, nisi imaginarium, contemnere eum oportet. Vel enim contemptum hunc, qui mihi obvenit, mereor, vel non? si eum mereor, redditur mihi, quod debetur: possumne jure conqueri? si eum non mereor, tunc is, qui me contemnit, magis sibi met, quàm mihi, iniquus est: lædit enim veritatem, lædit charitatem, & eâ forsan penitus excidit. An non deplorari meretur? Philosophorum quidam dicebat: Contemptum per contemptum ulciscere: sed Christianus contemptum tolerat, & illum, qui ipsum, iniquè sprexit, deplorat, vel excusat. Contemnant me, cogitent de me,

me, quod libuerit, reapse denique sum is, *October.*
qui coram Deo iudice sum, dicebat humi-
lis S. Franciscus, contemnant me ho-
mines; si tibi Domine probor, quid meâ
refert? tuum solius iudicium meriti regu-
la est, eritque meâ felicitatis origo. Si
Deo placeo, annon contentum esse me o-
porteret? quis unquam coram oculis suis
minor fuit, quis mundi oculis vilior esse
visus est, quàm S. Franciscus? & interea
quis coram Deo major fuit, quàm ipse?

III. Tertius humilitatis gradus eò se
extendit, ut quis sui contemptum amer.
Et verò si contemptus boni quiddam est,
an non amari meretur? & nonne bonus
est, si eum oculis fidei intueamur, quando-
quidem medium nobis suppeditat id, quod
nobis charissimum est, nempe honorem
nostrum Christo consecrandi: quin eò us-
que pervenire debemus, ut eum desidere-
mus, cum is nos reddat scopum appro-
bationis, & amoris Dei, qui non potest
non approbare sacrificium, quod tanto no-
bis pretio constat. Denique eò eniten-
dum, ut contemptum quæramus; cum hoc
sit medium acquirendi similitudinem cum
Deo contempto, cum Deo in nihilum qua-
si redacto. Quanta hæc felicitas! quan-
tus honor! S. Franciscus id probè noverat,

Otober.

Is enim, cum angeretur, quod se aestimari, honorarique animadverteret, quaedam, ut videbatur, statu suo indigna agebat, ut se contemptui exponeret, ratus, multum se lucrari, si hominum aestimatione excideret; quod hæc vanam sibi inspirare gloriam posset. Nihil adeo frangere arrogantiam nostram debet, sicut timor contemptus, & depressionis; cum fides nos doceat, quanti eam Christus fecerit, quantoque fervore eam amplexus fuerit.

Si necdum sat habes animi, ut ad tertium humilitatis gradum aspire, conare saltem ad secundum usque peringere.

Substantia mea tanquam nihilum ante te. *Psal. 38. v. 6.*

Ama nesciri, & pro nihilo reputari. *Imit. Christi.*



DIES

DIES V.

 Quàm utilis sit Meditatio
 Mortis

I.

Per peccatum, inquit Apostolus, mors in-
 travit in mundum. Et cogitatio de mor-
 te ex eo pellit peccatū. Peccatum stimulus
 est mortis; sed mors remedium est adversus
 peccatum, sicut peccatum est causa mor-
 tis; sed mors est ruina & destructio pecca-
 ti. Sicut venena summè lethifera, si bene
 præparentur, evadunt remedia; sic mors
 quantumcunque crudelis esse videatur, sa-
 lutaris evadit homini, si eam, ut oportet,
 meditari noverit. Deus primo homini
 dicebat: si peccaveris, morieris. Et ho-
 die omnibus dicit: si cogitaveritis, vos mo-
 rituros, ampliùs non peccabitis. O mors,
 quàm funesta es, si tui obliviscamur! O
 mors, quàm utilis es, si tui recordemur? &
 nilominus plerique hominum studium,
 & felicitatem suam in eo ponunt, ut mor-
 tis obliviscantur: sed proh dolor! ea pro-
 pretea nostri nō obliviscitur. Difficile ipsa

● October.

accidit, de morte cogitare; & tamen non nisi de ea cogitando evitatur id, quod solum mortem reddit terribilem, nempe pœna æterna, quæ eam sequitur, si de ea non cogitatur.

II. Quid meliùs reprimere potest vanitatem, & arrogantiam in aliqua fœmina, venustatis suæ idololatra, quàm cogitare, hoc corpus, quod ipsa idolum suum constituit, olim vermium fore pabulum, horrore scopum ijs ipsis, qui illud adorârunt, & forsan ignium æternorum prædam, si ipsa immoderatum hunc amorem, quo corpus suum deperit, non moderetur, neque de perversitate hac per pœnitentiam expianda cogitet. Forcne ea tantopere mundo addicta, si meminisset, se, etsi mundus ob suam inconstantiam, sibi que innatam perfidiam, eam deseriturus non esset, cogendam brevè illum deserere, & ab eo per mortem æternùm separandam? num voluptatibus tantopere inhiaret, si cogitaret, lætas cantiones, ut Scriptura loquitur, in lamentationes, & ploratus converteudas, sceleratas hæc voluptates non nisi momentum duraturas, atque hisce delicijs momento citiùs successuram pœnitentiam, & perenne tormentum? possèrne homo bonis suis tantopere affici, ea tam avidè

*Convertam
cantica ve-
stra in plan-
ctum.
Amos. 8.
v. 10.*

vidè congerere, cum tanta iniustitia reti-
nere, si cogitaret, mortem intra paucas
fortasse dies omnia bona sibi erepruram,
sibi que dictum iri: *quæ parasti, cujus erunt?* Luc. 12. 20.
cuj hæc bona relinques? ingratis; qui in-
iustitiæ non minùs, quàm divitiarum hæ-
redes, & olim infelicitatis tuæ semper e-
runt consortes.

III. Ad hominem convertendum, &
vehementiam cupiditatum ejus prorsus
perversarum inhibendam plus non est ne-
cessarium, quàm ut ducatur ad tumulum,
eique dicatur: *veni, & vide.* Vide hunc
acervum putredinis, & pulveris, vide re-
liquias hujus divitis, hujus in mundo feli-
cis, hujus hominis voluptatibus immer-
si, istius herois, magni istius Regis. Veni,
& vide, quò desinant omnia illa vasta con-
silia, omnia illa ambitiosa proposita, om-
nis hujus Monarchæ Majestas. Uni-
versus terrarum orbis ipsius ambitioni vix
sufficiebat; & jam hoc tumulo compre-
henditur. Vide, ubi terminentur omnes
illæ voluptates, quarum amore salutem,
& æternitatem suam in discrimen multi
conijciunt. Veni, & vide. Illi fuere ta-
les, qualis tu es, imò & majores; & tu
brevi eris, quod ipsi sunt, nempe modi-
cum cineris.

B

Si

October.

Si talia errorem tibi non eximunt, si non faciunt, ut mundi vanitatem sentias, si te ab illo, simulque à peccato non deterrent, vel cæcus, vel insanus sis, necesse est.

O mors, quàm bonum est tuum iudicium! *Eccli. 41. 3.*

Nihil enim sic homines revocat à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. *Aug.*

DIES VI.

De Iudicio.

De sententia iudicis in gratiam Electorum.

I.

Matth 25.
34.
Venite, dicit Christus Electis, *Benedicti* Patris mei: possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Venite, non amplius crucem post me portaturi, sed mecum regnaturi, non amplius vobismetipsis renuntiaturi, & voluptatibus, sed mecum gavisuri omnibus delicijs, quas benignitas mea vobis parat, sed testes, & consortes gloriæ meæ futuri. Venite è loco exilij vestri, patriam vestram ingressuri. Venite è terra, loco illo miseriarum, & lachry-

chrymarum, in cælo omnium deliciarum, *October.*

& gaudiorum sede imperaturi. Venite,
& videte, an vobis imposuerim, cum dixi,
felicitatem à me vobis paratam eam esse,
quæ mereretur, ut maxima mala non tan-
tùm æquo, sed & læto animo toleraretis.
Felices illi, qui nunc libenter audiunt vo-
cem Domini, qua ad Crucem portandam
invitantur, idcirco, quòd securi sint, se o-
lim ab eo invitandos, ut cum ipso æterna
felicitate fruamur.

*Gaudete in
illa die, &
exultate;
ecce enim
merces ve-
stra multa
est in calo.
Luc. 6. v. 23.*

II. Venite Electi mei, vos, qui fuistis
contempti, persecutiones perpeffi, à mun-
do diris devoti; sed nunc honorati, bene-
dicti, non ab Abrahamo quodam, vel Isaa-
co, sed à Deo, qui Pater meus, & vester
est; cujus benedictio penitus immunes vos
reddet à maledictionibus, queis mundus
vos oneravit; quandoquidem ea vobis ac-
cerferet prærogativam natalium, non cui-
dam infelici Esavo ereptam, sed hæredita-
tem æternam, quam ego, qui vester esse
frater volui, liberaliter vobiscum partiri
cupio, postquam eam sanguinis mei pre-
tio fui promeritus. Vos benedicti eritis in
omnibus, & per omnia, & quidem in o-
mnem æternitatem; mecùmque æternùm
benedicetis Patrem misericordiarum, o-
mnium auctorem Benedictionum, quibus

October,

per totam æternitatem cumulabimini: ob-
ruat me mundus persecutionibus, maledi-
ctis me oneret; lubens feram: modò, Do-
mine, partem olim habeam felicis illius be-
nedictionis, qua electos tuos beas.

III. *Possidete*, addet iudex, *Regnum, quod
vobis paravi à constitutione mundi.* Hæc non
est levis remuneratio, quam vobis imper-
tio; sed Regnum, idque vobis non imper-
tio ad aliquod temporis spatium, ut ca-
duco inde gaudio fruamini. *Possidete.* Ut
eo æternùm gaudeatis. *Paratum vobis à
constitutione mundi.* Paratum non ab ini-
tio duntaxat mundi, sed ab omni retrò æ-
ternitate ad id vobis parandum tota æter-
nitate opus erat; & nonnisi aliquot mo-
mentis vobis opus fuit ad hoc vobis pro-
merendum, ut eo æternùm gauderetur.
Sed, quo pretio Domine illud nobis largi-
ris? pro frustillo panis, pro haustu frigidæ
pauperi cujdam propinato. *Esurivi enim,
& dedistis mihi manducare.* Quanta mer-
ces, Domine, pro re tam modica! Verum
est, eam nimis magnam nobis esse; at ni-
mis magna non est Deo infinitè bono, &
infinitè liberali. O quàm beatum est, mi
Deus, multa propter te agere, & perpeti,
siquidem rem tam exiguam faciendo tam
insignem obtinemus remunerationem!
quàm

quàm dignus est infelicitate sua, qui hac October,
felicitate privatur; quia neglexit tantum
bonum, quod tantillo sibi pretio compa-
rare poterat.

Pete à Domino nostro particeps fieri felicitatis
hujus Benedictionis, quæ erit hæreditas Electo-
rum ipsius, quia eam sanguinis sui pretio tibi
meritus est: sed ut cum illis benedicaris, oportet
te, sicut ipsi, vivere.

Mihi quoque, obsecro, ut benedicas.

Gen. 27. 38.

Qui enim modò libenter audiunt, & se-
quuntur Verbum Crucis, non timebunt ab
auditione æternæ damnationis. *Imit.*

Christi lib. 2. c. 12.

DIES VII.

De Inferno.

I.

Cælestis Paradisus locus est omnia com-
prehendens bona: Infernus locus est
omnia complectens mala: cum me tibi o-
stendero, & donavero, dicebat Deus Moy-
si, omnia tibi bona ostendam, & donabo.
Sic damnatus, cum Deum perdit, omnia
bona perdit, & omnibus malis obruitur;
non est pars in ejus corpore, nec facultas

B 3

in

October.

in anima, quæ peculiare suum tormentum non habeat. Ipsi oculi cruciantur horrendis tenebris, & continuis lachrymis; ipsius aures clamoribus, ululatus, & horrendis blasphemijs, in quas, cum ipse prorumpit, tum ab alijs audit; ipsius gustus rabida fame, sitique, odoratus intolerabili fæore, tactus ardore ignis devorantis; ipsius imaginatio horrendis spectris; appetitus assiduo conflictu crudelissimorum, & violentissimorum animi motuum; memoria recordatione præteritarum voluptatum, quas cum præsentibus tormentis comparat; ipsius denique voluntas motibus sibi invicem prorsus oppositis, desiderijs vehementissimis, at penitus inutilibus torquetur. Inveniturne major infelicitas, quam semper velle, quod nunquam erit, à pænis videlicet liberari; & nunquam velle, quod semper erit; nimirum ardere, & pari. Intellectus denique crudelissimis, & fastidio plenis considerationibus, assiduâque miserrimi sui status memoria punietur. Ah! Domine, quis poterit comprehendere potestatem iræ tuæ, ejusque effectus exprimere?

Psal 89.
v. 11. & 12.

II. Infernus non tantum est malum universale, sed malum insuper omnis intermissionis, & mitigationis expers. Inter-
mis-

missione caret, quia nec Deus, qui author
est pœnarum reprobis inflictarum, nec dæ-
mones eorum tortores unquam fatigan-
tur, & ij, qui tormentorum istorum sunt
scopus, eorumque peccata, velut suppli-
ciorum causa, peristent semper. Infer-
nus in omnem æternitatem damnato idem
prorsus erit, qui primo momento est, quo
in illum præcipitatur. Pœna damnato-
rum malum est nullam interruptionem, &
solatium admittens. In hac vita non in-
venitur malum, quantumcunque grande
id sit, quod non aliquid relaxationis, aut
levaminis habeat. Si violentum est, du-
rare longo tempore non potest; si violen-
tum non est, tolerabile est: sed in inferno
violentia diuturnitate non minuitur. Pa-
radisus cælestis est bonum quoddam pu-
rum sine permixtione ullius mali; infer-
nus est malum purum absque permixtione
ullius boni. Potestne minus inveniri le-
vamen illo, quod flagitabat perverfus ille
Dives, guttam videlicet aquæ ad refrige-
randam linguam suam igne devorante suc-
censam? & Abraham, vir ille charitatis a-
dæd studiosus eam ei negat: Recordare,
ajebat ipsi, te nullam tibi, cum viveres,
voluptatem negasse: idcirco nulla tibi
nunc conceditur.

October.

III. Infernus non malum duntaxat est univrsale, & omni carens levamine, sed omnis etiam spei expers. Quantumvis malum aliquod grave sit, solamur nos, brevè nos eo liberandos: spes ipsa licèt vana, licèt fallax, malum mitigat. Solamur nos, nosmetipsos decipiendo. At damnatus spem habere non potest, ne fallacem quidem: quovis momento cogitat, nihil sibi sperandum. Quàm crudelis cogitatio! multum pati, multùmque sperare, est parùm pati. Pati parùm; sed sperare nihil, est multùm pati: sed pati multùm, & sperare nihil, omnium miseriarum congeries est; atque hæc est fors damnatorum, qui pro hæreditate sua, præter desperationem nihil habent. Eò tandem devolvuntur spes fallaces pœnitentiæ, qua dæmon nos ludificat, qua nobis ipsis blandimur, & quæ, cùm efficiat, ut vitæ emendationem semper procrastinemus, sub obtentu, de ea commodiore tempore cogitandi, nos impedit, ut ad bonam frugem non redeamus.

Statue velut leves tibi proponere omnes pœnas, queis pœnitentia te subjicit, cùm tueatur te adversus pœnam adèd horrendam, ut est illa inferni.

Quis

Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram dinumerare. *Psal. 89. 11.*

¶ 12.

Quid tam miserum, quàm semper velle, quod nunquam erit; semper nolle, quod semper erit. *Bern. de Consid.*

DIES VIII.

Incitamenta, & Affectus
Contritionis.

I.

TU, Domine, me non creâsti, nisi, ut te amarem, ut tibi servirem, & salutem æternam obtinerem: & ego vixi, quasi in mundum non venissem, nisi, ut te offenderem, & damnationem sempiternam incurrerem. Si enim ita se res non haberet, potuissemne vitam meam aliter instituire? tu nihil omisisti, quo me ad tibi serviendum, & te amandum obstringeres; omnia media mihi suppeditâsti, ut me ad hoc præstandum juvares; ad hoc impellere me voluisti tuis beneficijs, ad hoc urfisti me tuis gratijs. Sed, prohi dolor! omnia hæc media neglexi, & beneficijs non nisi turpiter ingratus, & gratijs tuis non nisi jugiter perfidum animû rependi; imò ex ipsis tuis

October.

beneficijs te offendendi ansam sumpsi, tua in me tolerando patientia, tuaque in remittendis mihi peccatis bonitas insolentiæ meæ incitamentum, vel occasio ad te offendendum fuere. Credidi, me impunè malum esse posse, ratus, te bonitate erga me semper plenum fore, tuamque patientiam jus mihi suppeditare, in delictis meis perseverandi. Quidnam potiùs admirandum, an bonitas tua, an verò malitia mea? utraque incomprehensa esse videtur: sed & utraque magnum mihi pudorem afferre, meumque animum vivo dolore penetrare debet.

II. Nihilominùs Domine, tolerasti me, nulla habita insolentiæ meæ te offendendi ratione; expectasti me, posthabita mea tibi resistendi pertinacia; protexisti me tunc, cum non cogitarem, nisi de injurijs tibi inferendis; memor mei fuisti, cum perniturus tui essem oblitus; inscurus es me, cum fugerem te; at, cum fugerem Deum patientem, & misericordem, annon incidere merebar in manus Dei justis, & vindicis? neque tamen mihi Deus, talem te mihi præbuit; & licet clamor scelerum meorum vindictam contra me exposceret, licet res creatæ, quibus fui abusus, delictis meis se jungerent, licet denique sanctitas,

Persecutus est fugientem se, & oblitum sui non est oblitus. Aug.

&c

& iustitia tua ad me perdendum te incita-
rent, his tamen omnibus misericordia tua
se opposuit. Non vindicasti te, quam-
vis id facillimè potuisses; & hujuscemodi
injurias persecutus fueris in alijs plurimis
minùs me sceleratis, minùsque ingratis,
quos à primo ipsorum peccato ad infero-
rum incendia condemnasti, & ego (gra-
tes sint bonitati tuæ) post tot mea crimina
eò non sum præcipitatus. Unde oritur
tantus in illos rigor, & tanta in me mise-
ricordia? num ego eam meritus sum? an
non potiùs eà nullies indignum me reddi-
di? atque hoc est, quod manifestat profusif-
simam tuam in me bonitatem, & ingra-
tissimum meum in te animum. Sed &
hoc est, quod incredibilem mihi confusio-
nis, & doloris ansam præbet, cum ad eò
patientem, & benignum Deum offende-
rim.

III. Sed, quam ob rem, Domine, te of-
fendi? ob unius momenti voluptatem, ob
vilem, & turpem oblectationem, ob exi-
guum vel lucrum, vel commodum. Si
id fieret ad obtinendum Vniuersi impe-
rium, possè me excusari, quòd res crea-
tas tibi præhabuerim? quæ, quantum-
cùnque excellentes, & perfectæ videan-
tur, coram te non nisi purum nihilum sunt.

Hor-

October.

Horreo cæcitatem judæorum, qui tibi, mi Domine, Barabbam infamem latronem prætulere. Ah! hi cæci erant, nec te cognoscebant. At ego, qui te Deum, & Servatorem meum esse cognosco, & quò usque insolens, quid tibi non prætuli? & ingratus animus meus non progressus est? sanguinem illum, quem pro me fuderas, pedibus millies conculcavi; mortem, quã amore mei subieras, renovavi. Si à me petisses, ut ad agnoscendam grato animo tantam bonitatem, vitam meam immolarem, & sanguinem meum ad ultimam usque guttam profunderem, an nimium exegisses? tantum tamen non exigebas à me; solummodò postulabas, ut te amarem, ut te non offenderem: estne hoc nimium? Heu me! hoc obtinere non potuisti. Obtinebis tamen nunc, mi Servator, vel potius id mihi concedes; nam sine te offendere te possum; sed te sine te nec amare, nec, quòd te offenderim, satis dolere possum. Hunc igitur dolorem à te peto per illam ipsam misericordiam, qua toties abusus sum; unaque rogo, ut, si dolor iste tuam in me benignitatem non æquet (nam, prò dolor! id fieri nequit) ingratum saltem animum, & peccata mea æquet: hoc si fiat, quousque eum non extendam?

Co-

Conare concipere hos Contritionis affectus : *October.*
peccata tua eos tibi tam necessarios reddent, faci-
cientque, ut tibi futuri sint facillimi.

Cor contritum, & humilitatum Deus
non despicias. *Psal. 50. 19.*

Quid non mali ego, aut facta mea; aut
si non facta, dicta mea; aut, si non dicta,
voluntas mea fuit? *Aug. Conf. 9.*

D I E S IX.

De Peccato Libidinis.

I.

PEccatum libidinis offendit, & peculia-
ri injuria afficit tres Sanctissimæ Tri-
nitatis Personas. Offendit Patrem. Ho-
mo per Creationem est imago Dei; ipse
anima pura, spiritualis est, & incorrupti-
bilis, sicut Deus. Sed per libidinem o-
mnia hujus imaginis lineamenta delet,
vel penitus corrumpit, dum animam suam
prorsus terrenam, & voluptatibus addi-
ctam reddit. Quanta injuria Regi cujdam
imponeretur, si ejus imago in lutum con-
ijceretur? annon hanc injuriam gravissi-
mè ferret? an eam impunitam dimitteret?
estne injuria, qua Deum libidinosus affi-
cit, minor? debetne Deus eâ minùs com-
mo-

October.

moveri, cum homo luxuriosus animam suam per voluptates belluinas, quibus carnem suam inquinat, luto, ut ita dicam, immergit? sic Deus post peccatum Adami, & Caini non dicit, se pœnitentia duci, quod hominem creasset: sed, ubi vidit obscœnitates, quibus homines ante dilu-
vium, volutabantur, id asseveravit: Pœ-

Gen. 6. 7.
v. 8.

nitent me fecisse eos. Adamum post ipsius peccatum non deseruerat; verum ubi homines libidini se deditere, dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Lachrymæ Adami ipsius sce-

Gen. 6 v. 3

lus delevêre; verum ad eluendas hominum obscœnitates diluvio opus fuit univêrsali.

II. Peccatum libidinis ratione peculiari offendit Dei Filium, idcirco, quod hoc peccatum post Verbi divini Incarnationem novam deformitatem contrahat. In Ethnico id scelus est, sed in Christiano quædam sacrilegij species. Christus, cum naturam humanam assumit, caput nostrum evadit, & nos ipsius membra. Hinc Apostolus peculiarem hujus peccati gravitatem in Christiano apprehendit: *Nescitis, inquit, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit? an nescitis, quoniam, qui adhæret meretrici, unum corpus est*

1. Cor. 6.
v. 15.

ficitur? Corpus vestrum non minùs, quàm anima ad Christum spectat, cum proprio sanguine eam redemerit. Itaque de eo disponere sine ipsius voluntate vobis haud licet; multò minùs ad usum tam infamem eo abuti. Quemadmodum Sanctissima Eucharistia Christo nos adhuc arctiùs unit, sic etiam peccati libidinis gravitatem multùm auget in ijs, qui cœlesti hoc Epulo reficiuntur. Per sacram Communionem idem corpus, eadem caro cum Christo, ut SS. PP. loquuntur, efficimur. Et hanc carnem tam obscænis sordibus fœdare, & profanare nò veremur? quanta injuria! quantum sacrilegium! nullum scelus sacræ Communioni adedò adversatur, nec ullum tantopere, uti libido, ab ea nos removeere debet.

III. Denique peccatum libidinis haud mediocriter offendit Spiritum sanctum: is enim spiritus est, & quidem spiritus purus, & sanctus. Si spiritus est, qui morari poterit cum anima corpori, & sensuum voluptati dedita? *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Si spiritus purus est, quantopere non averfabitur cor impurum? *An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus sancti? si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: Si Deus tantopere offenditur injuriâ, quæ ipsi*

October.
Non estis va-
stri, empti
enim estis
pretio ma-
gno. *Ibid.*

Concorporei,
consanguinei
Christo.
Cyrill.

I. Cor. 6. 19

October.

ipsi infertur, cum ipsius Tempora manibus hominum constructa prophanantur. An minus offenderetur injuriâ, quam ei libidinosus infert, cum is obscœnitatibus suis prophanat corpus suum, quod vivum est

1. Cor. 3. 17. Spiritus sancti Templum? libido in corde, & corpore Christiani *abominatio est desolationis in loco sancto.*

Matth. 24.


15.

hunc in modum vitium libidinis, cum id fragilitatem esse dicimus, cum id colloquiorum nostrorum jucundissimorum argumentum, & oblectationis nostræ scopum statuimus? cum in eo summam nostram felicitatem statuimus, cum id ipsi Deo præhabemus?

Quandoquidem vitium libidinis aded abominandum est, statue illud, & quidquid eo te conspurcare potest, vitare, magnūque zelum concipere id in alijs destruendi.

Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Gen. 6. 3.

Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis habere victoriam. Aug.



DIES

DIES X.

De Contemptu, & Fuga
Mundi,

I.

UT mundum contempnas, satis est, eum
nōsse: mundus in judicijs suis adeo
cæcus, in rerum æstimatione, & remune-
rationibus adeo injustus est, ut nullam ha-
beat virtutis, & meriti rationem; ut re-
munerationes impetres, non raro sufficit,
te earum esse indignum; in suis promissis
perfidus, in agendi ratione morosus, in a-
micitia sua inconstans est: hæc multo la-
bore obtinetur, cum difficultate conser-
vatur, & facile amittitur; amicus est de-
bilis, inimicus periculosus; nobis blandi-
tur, ut nos circumveniat, nobis assensatur,
ut eò facilius nos perdere queat. Gran-
dibus nos spebus alit, ut superficialia nobis
impertiat bona, quæ animum infinitæ ca-
pacitatis explere nequeunt; vana, quæ sa-
tisfiere mentem ratione præditam non pos-
sunt; rudia, & inculta, quibus nulla est
cum anima spiritali proportio; brevia, &
caduca, quæ proin animam immortalem
reddere felicem non valent. En totum id,

C

quod

October.

quod mundus pollicetur, sed quod sæpè non præstat. S. Franciscus Borgia, cujus hodie festa dies agitur, conspecta Imperatrice, omnium fæminarum pulcherrima, ubi eam mors penitus deformem reddiderat, absit, inquit, ut in posterum adhæream mundo, ut serviam Domino, qui tam malè remuneratur eos, qui ei se addicunt.

II. Mundum contemnere satis non est; sed ab eo separare se oportet: quàm multi inveniuntur, qui mundum æstimare non censentur; neq; tamen ei adhærere cessant. Hi documenta de mundi vanitate traderent, & eum nihilominus amant; de illius perfidia quotidie conqueruntur; hoc tamen non impedit, quò minùs ei fidant; & ubi eum execrationibus onerârunt, eum tamen sibi idolum constituere, & adorare non desinunt: cæcutire te necessum est, si mundum æstimare velis; & à reipso diffidere, si illum contemnere, & nihilominus tam arctè eidem adhærere velis, quasi in eo, quidquid optari potest, inveniatur; mundum æstimare est rationis usu carere; mundo, quem velut maximum Christi inimicum averfari nos oportet, affectum suum affigere, est fide carere, & à Christo deficere. S. Franciscus Borgia simul, ac mundi vanitatem cognovit, non modò

Loup

eum

eum amare desijt; sed veritus, ne diutiùs October.
 ejus negotijs implicaretur, penitus ab eo
 separare se voluit. Mundus quantum-
 cunque injustus sit, nihilominus, quid-
 quid magnum, & splendidum possidet, ei
 dederat; is tamen illi nuntium remisit.
 Et tu, qui fortasse millies cognovisti mun-
 di vanitatem, & perfidiam, ab eo te sepa-
 rare non vales?

III. Omnes Christiani à mundi illece-
 bris, & affectu expediti esse debent. At
 Christianos perfectos eidem mortuos esse
 oportet: *mortui enim estis*, dicebat A- Coloss. 3.
v. 3.
 postolus Christianis, & *vita vestra abscondi-
 ta est cum Christo in Deo.* Quantumcunque
 aliquis separatus sit à bonis, & honoribus,
 non continuò tamen omnem semper erga
 illos affectum exuit: quamvis delectatio-
 nem in ijs non quærat, non tamen inve-
 nire, & sentire cessat: mortuus verò nul-
 la re penitus movetur: licet ei magnifica
 exhibeantur obsequia, superba erigantur
 Mausolæa, licet omnia ejus laudibus reso-
 nent, ea non percipit, nec ijs tangitur.
 Hæc est imago hominis mundo mortui:
 hæc est effigies S. Francisci Borgia: licet
 enim omnia è sententia ipsi cesserint, licet
 ipsius virtutes, facta heroica, prodigia i-
 psa ab eo patrata, ipsi conciliârint applau-
 sus,

October.


sus, æstimatione & venerationem omniū ,
 quæ in eo præcipuè eminebant ; non magis
 movebatur , quàm si hæc omnia ad se non
 spectarent ; quia mundo , sibiq ; ipsi mortuus
 erat . Is nulla re , quæ ipsum contingebat ,
 afficiebatur , nec aliud spectabat , quàm
 gloriam Dei , quem omnium cognoscebat
 authorem bonorum ; atque hæc non aliter
 arbitrabatur esse sua , quàm , quòd ea circa
 se versarentur . O felix mors , quæ facit ,
 ut anima Deo vivat ! Heu me ! vivacitas
 mea circa honorem , & commoda mea ,
 probè mihi ostendit , quàm longè absimã
 morte tam beata .

*Examina te , ut cognoscas , quem gradum
 contemptus mundi attigeris . Forsan nec ad
 primum pervenisti .*

Præterit enim figura hujus mundi .

1. Cor. 7. 31.

Post te fumus , si ante te Deus . *Aug. in
 Psal.*



DIRS

DIES XI.

De Peccato Acediæ.

I.

ACedia peccatis capitalibus annumeratur, quia multorum aliorum fons est; pleraque enim peccata omissionis, quorum ingens est numerus, ejus sunt effectus. Ea est fastidium quoddam virtutis conjunctum cum ingenti negligentia muneris sui partes cognoscendi, idque ritè obeundi, ob difficultatem, quæ in eo invenitur, quàmque superandi animo caremus. Est peccatum valdè commune, & parùm cognitum. Obligationes nostras ignorare cupimus, quia implere eas nolumus: si verò eas cognoscamus, multos obtentus excogitamus, mollitiei, imbecillitatis, infirmitatis, difficultatis, impotentiae, ut illas à nobis amoveamus. Sic servus ille desidiosus in Evangelio, qui cum talentò sibi commissò negotiari debuisset, negligentiae suæ obtendebat Domini sui austeritatem: scio, quia homo austerus es; metis, ubi non seminasti. Si ipsi crederemus, omnis error Domino attribui deberet. Quàm multi talenta sua sepeliunt, eaq; sibi ipsis

October,

abscondunt metu laboris, quem eorum usus impendere deberent. Denique desidiosus se ipsum cæcum reddit, ne acediæ suæ perspiciat effectus, veritus, ne è miserosopore, ob quem se felicem reputat, expergisci cogatur: cum enim violentis animi motibus careat, nec multum se movere, nec vim sibi inferre cupiat, quod tamen ad gravia scelera perpetranda aliquoties necessarium est, probum se credit, quia valdè sceleratus esse non potest.

II. Acedia aliquoties è corporis habitudine, ingenij tarditate, animi debilitate, ex ignavia, & timiditate naturali oritur. Philosophus censet, magnanimos aliquoties ignavos esse: sed hoc provenit à causa priori penitus contraria; quia nempe pauca contingunt digna, quæ commoveri se sinant. Superbia participare aliquid ab acedia potest: nolumus aliquid in nos suscipere, veriti, ne id è sententia nobis haud succedat, ne & exiguus successus aliquam sui depressionem, & desipientiam pariat. Ignavi non rarò etiam virtuti tribuunt socordiæ suæ partus, demissioni namque, ac moderationi adscribunt contemptum, quo excellentias, & functiones splendidas, atque sublimitates fugiunt; licet hoc frequentex non sit, nisi
me-

October.

merus laborum horror, quos subire deberent, ut ad sublimia emergerent. Temperantiae tribuunt modicum illud ardoris, quo ad voluptates sectandas feruntur; licet hujus rei alia causa non sit, nisi, quod pleræque oblectationes carò nimum consent, majusque è sua indolentia, & desidia gaudium capiant. Desidiosus, inquit Spiritus sanctus, vituperat desiderium, quo alij bona congerendi flagrant. Hoc verò non oritur inde, quòd ea minus amet, sed, quòd otiosam quietem eis præhabeat. Ignavus, inquit Sapiens, quædam fatuorum est species, quæ orio se dedit, nec bona acquirere studet, sub obtentu, tranquillam paupertatem abundantiae, quæ labore constat, præferendam esse.

Stultus complicat manus, dicens: melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore. Eccl. 4. v. 5. & 6.

III. Effectus acediae sunt 1. Timor immoderatus difficultatum, quæ in virtutis exercitio inveniuntur. 2. Ingens à plerisque medijs, quæ salutem accersere nobis possunt, aversio, idcirco, quòd laborem exigant. 3. Ignavia, & timiditas superba, quæ nos impedit, quòd minus naturæ dona utiliter impendamus, veriti, ne res optatum exitum non sortiatur. 4. Magna levitas omittendi functiones suas summè necessarias, obtenta levissima causa, & difficultate; &, si vel inviti ijs nos addice-



October.

re cogamur, misera locordia, qua illas obimus. 5. Inconstantia quædam assidua in bonis propositis; quia minimas etiam difficultates horremus. Hinc Spiritus sanctus ait: *Vult & non vult piger.* 6. Immoderata diffidentia de nobis ipsis, quam aliquoties humilitatem interpretamur, quod potius meminerimus imbecillitatis nostræ, quam potentiæ divinæ, qua non satis nitimur. Denique venimus aliquoties usque ad salutis nostræ desperationem, quam velut impossibilem spectamus. Et verò ijs, qui salutem suam promovere cupiunt, dici potest, quod Judas Machabæus militibus suis dicebat: si quis hinc invenitur ignavus, aut timidus, ante prælium hinc discedat; apertus enim nobis non est. Ut salutem æternam consequamur, necessarium est violentos animi motus vincere, grandes difficultates superare, functiones operosas obire. An totum hoc convenit cum ignavia, & desidia?

Examina te, ut videas, quantum tibi hujus vitij adhareat, & quos effectus in te proferat, ut ijs medearis.

Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. Prov. 13. 4.

Noli esse piger, noli breviter laborare: æternam vitam daturus est tibi Deus.

Aug. Serm. 2.

DIES.

DIES XII.

De Spectaculis.

I.

PLures comœdiam, aliâque similia spectacula innocentes animi remissiones esse credunt. Verùm, possuntne animi remissiones, quæ spiritui Christianismi contrariæ, omnibus periculosæ, & apud plures sceleratæ sunt, innocentes esse? an non Christianus per Baptismum sæculi pompis renuntiavit? ubinam verò sæculi pompæ insolentiùs dominantur, quàm in hujusmodi spectaculis? quid tibi comœrcij est, dicebat Tertullianus, cum pompis diaboli, quibus tam solenniter renuntiasti in Sacramento fidei tuæ? qui delectari potes hisce actionibus, quas Religio tua damnat? in quibus approbantur, & quodammodo consecrantur vitia, quæ cum horrore spectare debes? spiritus Christianismi spiritus est puritatis, modestiæ, demissionis, orationis, pœnitentiæ, & mortificationis: quid huic spiritui magis adversatur, quàm id, quod in hisce spectaculis exhibetur? renuntia dignitati Christiani, si spiritu ejus cares, si spectaculis præsentem te sistis,

C 5 quæ

October.

quæ animo tuo sensus inspirant, ad eò illi oppositos?

II. Spectacula toti mundo periculosa sunt: quid enim in ijs spectatur? Pudor, puritas, & modestia ludibrio habita, & ob hoc ipsum contemptui exposita; contra verò gravissima scelera artificiosè palliata, & ornata, cupiditates periculosissimæ, & fallacissimæ, omnis generis amœnitatibus vestitæ, magnis exemplis comprobata; fieri potest, ut ea cum omnibus hisce lenocinijs non placeant animis, jam aliunde ad ea plus nimio pronis? quid in ijs spectatur? voluptates sceleratæ omnibus suis illicijs exornatæ, omnibus ijs, quæ earum horrorem incurrere possent, nudatæ. Quid in ijs spectatur? res in seipsis periculosæ, eoque magis periculosæ, quò magis affectionibus ea spectantium conveniunt. Possuntne virtus, & innocentia è tot laqueis, qui eis tenduntur, se extricare? solidissima virtus in solitudine tutam se non credit; ecquid fiet in medio tot discriminum tantò magis formidandorum, quantò avidius quæeruntur, & ut videtur, non nisi ad interitum quæeruntur?

III. Verùm, estne peccatum mortiferum ad comœdias accedere? quænam hæc quæstio, si à Christiano proponatur? quis

du.

dubitet, quin plures per hoc graviter peccent? sed peccatum cum sit, si-
ve leve, satis est ad permovendum Chri-
stianum, ut illas vitet; qui flagitium ca-
pitale sibi fugiendum solummodo statuit,
brevi in id labetur. An non satis est ad
vitandam actionem aliquam, eam Deo di-
splicere? an Deo placere potes, si comœ-
diæ spectator assistas? potes quidem, si a-
ctio nec pia, nec impia sit; cum omnis a-
ctio indifferens referri ad Deum possit, &
ab eo remuneratio peti. An verò comœ-
diam offerre Deo auderes? an cælum, quòd
comœdiam spectâris, à Deo petere? si hoc
non auderes, actio indifferens non est: si
actio indifferens non est, tum vitiosa sit,
necesse est; medium enim non invenies.
Potestne quis sine peccato, peccandi occa-
sioni se exponere? an non comœdia talis
occasio est? num à virtute tua satis tutum
te credis? an verò ei diffidis? si tutum te
credas, temeritas est. Esne verò inno-
cens, temerarius cum sis? qui nimium sibi
pollicetur, lapsui proximus est. Si tibi-
met ipse diffidis, an non peccati reus es,
dum in occasionem te conijcis, in qua te
labi posse prævides? annon experientia
debilitatis tuæ hac in re cautum, & pru-
dentem reddere te deberet?

October.

Statue, quocunque obtentu hujuscemodi spectaculis nunquam assistere.

Ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigatur sagitta guttur ejus; veluti si avis festinet ad laqueum, & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur. *Prov. 7. 22. & 23.*

Quid tibi cum pompis diaboli, adversus quas in signaculo fidei ejurasti? *Tertull.*

DIES XIII.

De Dubio, quod habere debet anima remissa, an sit in statu gratiæ.

I.

GRandem formidandi, nòsque submissè gerendi causam habemus, quòd polliceri nobis non possimus, nos in statu gratiæ esse constitutos: sed magnam habere causam hac de re dubitandi, magis adhuc arrogantiam nostram comprimit. Homo fervens timet, ne non sit in gratia; multò tamen magis sperat, quàm timeat; idcirco, quòd rationes habeat sperandi, se in statu gratiæ esse: ideòque ipsius timor animum ejus non frangit. Homo verò igna-

vvs

us magnas habet dubitandi rationes, an ^{October} in gratia sit constitutus: itaque ei longè magis timendum, quàm sperandum. Quid terribilius? ut primùm gratia animam aliquam ingreditur, Spiritus sanctus in ea, velut in templo suo residet. At habemusne causam nobis persuadendi, Spiritum sanctum in anima tepida reside- re? Spiritus enim sanctus spiritus est purus, ardens, vehemens; anima tepida carni addicta, sensibus dedita, frigida, socors. Quomodo igitur Spiritus iste purus animam carni, & sensibus devotam incolere potest, cùm ipsemet id se posse, neget? quomodo Spiritus tam ardens morari in animo penitus glaciato poterit? quomodo Spiritui isti tam vehementi cum tanta socordia convenire? si verò dubitandi datur locus, an Spiritus sanctus habitet in anima tepida, an non etiam dubitandi locus est, an anima tepida sit in gratia; quæ vinculum illud est, quo Spiritus sanctus, cum illa unitur?

II. Gratia est animæ nostræ, quod anima est corpori nostro. Hæc est ejus forma; est, ut ita dicam, animæ nostræ anima. Anima in corpore nostro continuum est actionum vitæ naturalis Principium; gratia in anima nostra debet esse principium

October,

pium continuum actionum vitæ supernaturalis. Si in corpore aliquo nullum amplius vitæ naturalis motum aduerto, causam habeo judicandi, animam inde excessisse, ac proin corpus mortuum esse. Si in anima quadam nullum signum animaduerto hujus vitæ divinæ, hujus vitæ supernaturalis, an non pariter habeo rationem judicandi, gratiam ab ea recessisse, animamque mortuam esse? jam verò, ubi sunt actiones vitæ supernaturalis in anima tepida, & socordi? si ea mentem suam scrutetur, si in actiones suas inquiret, potestne sibi polliceri vel unicam earum verè supernaturalem esse; cujus Deus unicum principium sit, & finis? an non omnes ejus actiones à natura, à proprio genio, animi motione, consuetudine, vanitate, respectu hominum proficiscuntur? potestne vel unica earum gratiæ tribui? O quantum hac de re dubitandi locus est!

III. Medium ipsum, quo anima tepida, & ignava ad recuperandam gratiam utitur, Sacramentum nempe pœnitentiæ an istam dubitandi præbet, an istam gratiam possideat. Pœnitentiæ juncta debet esse contritio vel perfecta vel imperfecta, sincera tamen tunc etiam, cum quis de peccatis duntaxat levioribus se accusat. Hæc enim

enim si absit, Confessio vel nulla, vel sacrilega est. Uterque dolor animæ tepidæ ex æquo difficilis est, quod ad peccata venialia attinet. Infernus unicum ferè motivum est, quod permovere potest animam ad concipiendum dolorem adeò duram, ut est anima tepida. Et tamen is saltem directè motivum esse non potest doloris imperfecti de noxis levioribus. Contritio perfecta difficilior adhuc ei accidit: nam denique dolor ob Deum in rebus etiam levioribus offensum, ob hanc solam rationem, quòd id Deo displicuerit, res est ab amore proprii commodi tam aliena, & perfecta, ut animæ etiam ferventissimæ ulterius progredi non valeant? quomodo igitur id speremus de anima languida, minusque fideli, quæ peccatis venialibus torquet, & consultò à se admissis, satis ostendit, se non magnopere dolere de infelicitate, Deo displicendi? annon hæc, Domine, ansam mihi præbent, si ignavus sim, de bonitate pœnitentiarum mearum dubitandi, & timendi, ne ipsum medium, quod mihi suppeditasti, gratiam recuperandi, ob fœcordiam meam aliud non sit, quàm occasio eam perdendi? mihi meq̃ machinandi &

October.

Inquire in Confessiones tuas, in quibus te non nisi de peccatis levioribus accusas, ut videas, an polliceri tibi possis, te sincerum dolorem habere.

Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Gen. 6. 3.

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Ambros.

DIES XIV.

Deus Suum Nobis Amorem testatur, cum nobis adversa submittit.

I.

DEus suum in nos amorem testatum facere melius non potest, quam res adversas nobis immittendo; idcirco, quod eæ nobis cogitationes de salute nostra suggerant. Quemadmodum prosperitas, & voluptates efficiunt, ut salutis obliti eandem negligamus, sic calamitates, & ærumnæ nos compellunt, ut de ea cogitemus. Si mundus ridet, nobisque blanditur, tunc eum amamus, ei nos addicimus, ejus bonis, & delicijs, quæ nobis affert, fascinari nos patimur. An non homo suis bonis penitus immersus, delicijs suis innatans, salutem, Deumque suum, & unà seipsum obli-

oblivioni dat? at ubi calamitas ingruit, ubi mundus nos persequitur, qui eum amare, qui ejus bonis affici, animumque ejus affigere possumus, cum illorum vanitatem experientia ipsa nobis demonstret? cor nostrum vivere non potest, quin aliquid amet. Itaque si mundo amplius non afficimur, probe dispositi sumus, ut ad Deum revertamur. Ut primum liberi sumus curam alicujus fortunæ, cui fidere amplius non possumus, probe dispositi sumus ad cogitandum de salute nostra. David quantumcunque Sanctus grandem ferre prosperitatem haud potuit, gravia peccata perpetravit, quia nimium evasit felix. Verum sicut prosperitas ipsum prostravit, ita calamitas eum erexit: *Conversus sum, inquit, in ærumna mea, dum configitur spina.* Et alibi: *tribulationem inveni; & nomen Domini invocavi.* Prosperitas nimia Salomonem idololatram reddidit; sed, quæ ejus fuit infelicitas, felix semper fuit: idcirco non factus est poenitens, Quando salutem tuam neglexisti, Dei tui oblitus? an non hoc contigit in delicijs, & prosperitate? quando de tuo ad Deum reditu cogitasti? nunquid in calamitate?

Psal. 31. 4.

Psal. 114. 4.

II. Deus nunquam melius suum in nos amorem testatur, quam ubi nobis ærumnas

D

mnas

Oktober.

mnas submittit, quòd eæ nobis media præbeant salutem nostram operandi : ut salutem nostræ studeamus, oportet peccata, quæ admisimus, expiare, & ab ijs, quæ perpetrare possumus, nobis cavere. Hæc duo commoda calamitas affert. Necessum est, ut peccatum puniatur, vel à Deo vindice, vel ab homine pœnitente. Si Deus ejus puniendi curam nobis committeret, vel è nimia indulgentia nobis parceremus, vel imprudente ardore modum excederemus : sed prævertenda duo hæc incommoda ; Deus, qui novit, quid ferre possimus, ærumnas nobis immittit peccatis, & necessitatibus, & viribus nostris congruas. Plus non requiritur, quàm ut ijs nos submittamus : atque hoc ipse contentus est. Quid faciliùs juxtà, ac tutius ? sed & in posterum peccata vitare oportet, & ad hoc calamitates magno nobis subsidio sunt. Bonis nostris fuisset abusi ; Deus ea nobis adimit ; immoderatum erga creaturas affectum habuisset ; ijs nos Deus privat. Sanitate nostra malè usi fuisset ; Deus nobis immittit morbos, qui eam nobis eripiant. Quot peccata hac agendi ratione non impedit ? quantopere non obligamur ita nos gerere, ut eum offendere nequeamus ? Misericors es, Do-

mi.

mine, dicebat S. Augustinus, cum hoc mo- October.
do nos affligis: atque hoc considerato ille,
cuj difficile accidat tibi se submittere, me-
retur, ut eum non affligas.

III. Deus amorem in nos suum nun-
quam magis demonstrat, quam dum ca-
lamitates nobis immittit: istæ enim veluti
prædestinationis nostræ signa, & pignora
salutem nostram in tuto collocant: *Quos Rom. 8. 17,*
prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.
Et quid nos adeò cum Christo Cruci affixo
conformes reddit, ut ærumnæ? imò idem
Apostolus ait: *Si cum ipso patimur, & con-*
glorificabimur. Si nunc cum ipso Crucem 2. Tim. 2. 12.
sustinebimus, & coregnabimus. Idipsum
nobis Christus pollicetur, cum ait: *Beati, Matth. 5. 12,*
qui lugent, quoniam ipsi in cælo consolabuntur.
Beati, qui persecutionem patiuntur propter ju-
sticiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.
Hujus ipsi securi sunt. Poterátne Chri-
stus clariùs nobis testari, calamitates esse
prædestinationis nostræ pignora, easque
perfectam nobis salutis nostræ certitudi-
nem polliceri? Qui hoc non credit, fi-
delitatem Dei in dubium vocat. Si verò
Dei fidelitatem in dubium vocamus, pro-
fectò ethnici sumus.

Judicium nunc fer de zelo, quem habes, sa-
lutis tuæ ex amore, quo calamitates amplecte-

D 2

ris

October,

ris ; cùm hæc media tibi suppeditent salutem tuam
vacandi, eamque ad felicem exitum perducendi.

Si tamen compatimur, & conregnabimus. Rom. 8. 17.

Hæc est via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via regni. Bern.

DIES XV.

Meliùs nunquam nostrum in Deum amorem testamur, quàm si calamitates cum gaudio amplectimur.

I.

SI Deum propterea amamus, quia nobis benefacit, amor noster proprii commodi spirat cupiditatem; ac proinde timendum, ne tunc magis, vel certè non minùs divina beneficia, quàm Deum ipsum amemus. Verùm, si tunc Deum amamus, cùm duriùs nos tractat, cùm nos affligit, planè ostendimus, ipsum à nobis amari. Si bonorum nostrorum participes reddimus eos, quos amamus, ostendimus, nos eos præferre bonis nostris, quibus nos ipsorum gratiâ privamus. Sed, ubi ipsorum gratiâ libenter mala toleramus, monstramus, eos à nobis sincerè amari, idcirco, quod

il-

illos nobis ipsis præhabeamus. Omnia alia Obober.
nostri in Deum amoris argumenta, aut imbecillia sunt, aut certè dubia. Imò Dæmon quoque; ut imminueret laudes, quibus Deus ornabat Jobum, dicebat: cur Domine Jobum tanti æstimas, quòd te amet, dum opibus affluit? quis enim hoc non faceret? sed eum non nihil acerbius percutere; tum experire, an amor ipsius tot inter ictus constans perseveret. Deus ipsum reapse percussit; at quo effectu? Jobus manum percutientis se osculatus est; qua re diabolus adedò convictus est, Deum à Jobo sincerè amari, ut Deus illius insolentiæ insultans, dubij, & exprobrationum ejus injustitiam demonstrârit.

II. Deus humani cordis percussus non solum ejus amorem, sed amorem constantem, & generosum ambit. Calamitatibus experiri non cessat illos, quos peculiariter amat, & à quibus singulariter amari vult. Quò magis eos amat, quò magis amari ab ipsis cupit; eò pluribus eos ærumnis affligit, ut non modò ipse sciat, sed toti mundo demonstrat, se ab ipsis amari, atque ita amari, ut omnibus alijs præferatur. Amari vult amore longè diverso ab illo, quo in res creatas ferimur. Res creatas, Magnates,

October,

Principes amamus, quia beneficia ab eis speramus. An verò hos amamus? nequam, sed eorum beneficia. Ut primum nullum amplius speramus, amor noster exspirat. Sed amare Deum, ubi nos affligit, non tantum adorare, sed tenerè exosculari manum ferientem, hic est amor peculiaris, & quo in creaturam non ferimur. Hoc est Deum, ut Deum amare. Ita Servator noster, cum ad hortum olivarum ascenderet cruciatibus suis facturus initium, ut cognoscat mundus, aiebat, quia

Joan. 14. 31.

diligo Patrem; & eum diligo propter ipsum, eamus ad bibendum Passionis calicem, quantumcunque is amarus sit; quandoquidem is à Patre meo pròdit, qui mihi occasionem præbet, amorem meum ipsi testandi, dulcis mihi evadit. Sic Christus Patrem suum amavit. Sic Deus amandus est. Num sic eum amas?

III. Omnes Sancti, qui Deum multum amârunt, multum quoque amârunt ærumnas. Sic Paulus omnem suam gloriam ponebat in amandis propter Christum ærumnis, in ijs totam suam collocabat felicitatem. S. Franciscus Xaverius affirmabat, homini, qui Christum sincerè amaret, vitam sine cruce quavis cruce gravio-
rem esse. S. Theresia, quam Seraphinum
hu-

humana carne indutum jure dixeris, *October;*
quámque hodie Ecclesia veneratur, incom-
parabilis illa Christi amatrix, illa Cruci
affixa, Dei Cruci affixi sponsa asseverabat,
in intensissimo illo desiderio, quo Deo
in Cælo frui ambiebat, nihil vitam sibi
reddere tolerabilem, nisi occasiones, quæ
sibi suppeditarentur, amore sponsi sui
multa patiendi. Negabat insuper, ut ve-
ras filias à se agnosci Moniales suas, quæ
crucem non amarent. Indefinenter ex-
clamabat: *aut pati, aut mori.* Infelicem
judicabat diem illam, qua nihil pro Deo
tolerabat. Sed fuitne vel unicus talis in
ipsius vita? an non semper patiebatur vel
ob hoc tormentum, quòd à Deo suo exul
degeret, vel ob illud, quòd non satis pro ip-
so pateretur? quinam animi sensus? quan-
ta generositas? quantus ardor? si cor meum
ijs non inflammatur, an non id mera gla-
cies est?


*Confer te ad S. Theresiam, ut tibi obtineat
modicum quid amoris illius generosi, quo ipsa
ardebat, ut eo impellaris ad amandum Deum,
& calamitates propter Deum.*

Superabundo gaudio in omni tribula-
tione nostra. *2. Cor. 7. 4.*

Ubi amatur, aut non laboratur, aut la-
bor amatur. *Aug.*

D 4. DIES

October.



DIES XVI.

Frequentes in Peccatum Relapsus pœnitentiam ferè impossibilem reddunt.

I.

Hebr 6 v. 4. **I**mpossibile est, inquit Apostolus, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Quàm terribilis sententia adversus eos, qui sæpè in peccatum recidunt. Cur ad eam non contremisicamus, cùm Deus ipse eam per Apostolum pronuntiârit? si fides nos obligat ad ei credendum, ratio ad ejus veritatem comprehendendam impellit: relapsus voluntatem peccato vinculis tam validis alligant, ut ea rumpere difficillimum sit. Actus frequentati sive boni, sive mali consuetudinem virtutis, & vitij procreant, hoc solo discrimine, quòd mali faciliùs, validiùsque habitum vitij procreant, quippe, qui sensibus nostris magis conveniunt, & inclinationibus animi nostri corrupti magis sint accommodati. Verùm actus ab homine, qui in statu gratiæ erat, frequentati, ut in relapsibus accidit, plus facilitatis,

&

& virium habent ad habitum contrahendum, quia plus habent luminis, & ob hoc ipsum plus etiam malitiæ, & acriorem stimulum ad malum perpetrandum. Sic peccati frequentiores actus habitum conflant; habitus dein, inquit S. Augustinus, mutatur in necessitatem; & hæc necessitas pœnitentiam ferè impossibilem reddit. Quàm terribilis relapsuum effectus!

II. Crebri in peccatum relapsus pœnitentiam reddunt impossibilem, cum media reddant inutilia. I. Nobis eripiunt desiderium, hisce medijs utendi; sive, quòd experientia, quam habemus de modico effectu, quem hæc media à nobis usurpata habuère, eorum nobis fastidium pariat, sive, quòd gratiam toties aspernati, & veniã nobis concessã abusi eam petere vereamur, spemque ejusdem obtinendæ amiserimus. Atque ita infelicem necessitatem incurrimus in peccato perseverandi ob impotentiam, qua laborare nobis videmur ex eo rursus emergendi. 2. Etsi hisce medijs uteremur, probabile est, ea vim ampliùs non habitura. Ejus rei rationem S. Paulus affert: *Peccatores, qui relapsi sunt, inquit, gustaverunt*

Otober.

donum cæleste, quasi dicere vellet: homo, qui postquã è peccato per pœnitentiam iterum surrexit, plurimis, & vivacissimis gratiæ luminibus fuit illustratus, suavitatem doni cælestis gustavit, nec desijt se denuò peccato implicare, nulla ampliùs ratione moveri se patitur, ut ex eo iterum emergat: potèstne majus robur ei suppeditari, quàm illud, quod habuit, cùm adhuc in statu gratiæ esset?

III. Et verò postquam homo peccato suo liber, gratiam recepit, & lumine, quod huic statui conceditur, illustratus penetravit excellentiam, & dignitatem Mysteriorum, quæ Religio nostra proponit, pondus, & certitudinem veritatum, quas ea docet, æquitatem præceptorum, quæ Deus nobis injungit, magnitudinem remunerationum, quas ea observantibus promittit; postquam Deus ipsi degustandas impertijt solidas illas suavitates, quæ in divino cultu inveniuntur: si omnes istæ tam potentes rationes eum coërcere nequivère, quò minùs in peccatum recideret, poterintne eum permovere, ut è lapsu suo resurgat? quænam alia motiva ipsi afferri poterunt? debèntne impertiri aliæ dulcedines, præter eas, quas jam degustavit, alia mysteria, aliæ veritates, aliæ remunera-

rationes ei proponi? potestne ipsi dici: Ah! **October.**
si scires donum Dei? si gustasses delicias,
quibus ij fruuntur, qui tam benigno Do- **Io. 4. 10.**
mino serviunt. Ipse donum hoc jam qui-
dem cognovit, sed contempsit; delicias
has gustavit, sed eas fastidivit. Invenie-
rurne aliquid, quod deinceps ipsum move-
re possit? Ah! Domine, ad hoc necessa-
rium est miraculum gratiae tuae. At, qui
hoc sperare ausim? id non mereor; sed Fi-
lius tuus, Servator meus, id mihi meritus
est.


*statue peccatum sollicitè vitare; sed longè
magis relapsus in peccatum, cum eorum effectus
adeò funesti sint.*

Impossibile est enim, eos, qui semel sunt
illuminati, gustaverunt etiam donum cæ-
leste, rursus renovari ad poenitentiam.
Hebr. 6. v. 4. & 6.

Timeas quidem pro accepta gratia, am-
plius pro amissa, longè plus pro recuperata.
Bern.



DIES



DIES XVII.

De Examine Conscientiæ.

I.

Nihil utilius est, quàm quotidie sub vesperum conscientiam suam excutere: hoc enim est medium efficacissimum, perfectam illam, tam raram, & necessariam sui ipsius cognitionem acquirendi. Assidue in nos ipsos intrare deberemus ad cognoscendas nostras imbecillitates, ut ijs mederi possimus: id saltem facere non negligamus singulis vesperis priùs, quàm cubitum concedamus. Aptius nihil est ad nos in hoc spiritu humilitatis continendos, quàm in miserias nostras quotidie inquirere: superbi non sumus, nisi quia nunquam ferè hujus inquisitionis meminimus. Sed hoc examen imprimis necessarium est, ad nos è pravis consuetudinibus extricandos: quemadmodum enim per frequentatos peccati actus eas contrahimus, sic eas destruere non possumus, nisi frequentatis actibus contrarijs, quos elicere in conscientiæ examine nos oportet: etiam ipsi ethnici hujus examinis necessitatem solo naturæ lumine agnovère. Examina te

ipsum, inquit Sapiëntium quidam, accusa te, **October.**
 reprehende te, condemna te: malus enim
 non es, nisi quia te non cognoscis; neque *Seneca.*
 alia est causa, quòd te non cognoscas; nisi
 quia vitæ tuæ rationem non investigas.

II. Quantopere hoc examine opus est
 Christianis, quorum vita purissima esse de-
 bet? quæ verò hanc vitæ puritatem, hanc
 conscientiaë teneritatem obtinere possunt,
 nisi assiduâ supra animi sui motus vigilan-
 tiâ, & exactâ omnium, quæ in ipsorum
 conscientia geruntur, inquisitione? Ve-
 rùm id, quod hujus examinis necessitatem
 penitiùs ostendit, est, quòd levitas, qua
 laboramus, id omittendi terribiles parere
 effectus possit; cùm id negligendo, salu-
 rem, & æternitatem nostram non rarò in
 discrimen conijciamus. Quàm multi in-
 ferorum cruciatibus torquentur, quòd
 praxin adeò sanctam neglexerint? quos
 repentina mors in statu peccati lethiferi
 dormientes obruit, & simul ad inferorum
 barathrum præcipitavit? si isti sub diei se-
 rum in conscientiam suam inquisissent, &
 contritionis actum, quæ examinis pars est
 sumè necessaria, elicuissent, peccati sui ve-
 niã obtinuissent, & sic infelicitatem æternã
 prævertissent. Quàm funesta negligentia!
 Ah! infelices isti eam per totam æternita-
 tem deplorant!

III. Con-

October.

III. Conscientiam suam excutere non sufficit, sed eam bene excutere oportet: neque contenti inquisitione superficiali, quæ ad nihil servit, nisi ad inutiliter nos occupandos, in nosmetipsos seriò descendere, & mentem nostram scrutari funditus debemus. An non signum est, te id debito modo non peragere, quod post tot examina intimas mentis tuæ latebras tam parum cognoscas? Non satis tibi sit, in peccata duntaxat graviora inquirere; quædam enim, etsi minus gravia sint, periculosiora tamen sunt. An non perfunctoriè solummodò percurris tot peccata omissionis, tot infidelitates in gratiam divinam, tot peccata, quibus deditus es, & ad quæ committenda animi propensio te impellit, tibi que abscondit, iisque larvam inducit, tot vanitates secretas, tot hominum respectus, tuique ipsius amores, qui optimas actiones fædant, fructumque bonorum tuorum operum tibi suffurantur? peculiarem diligentiam impende concipiendo vivo de peccatis tuis dolori; præcipuè verò statue, firmiter, & efficaciter vitam tuam emendare; nec generali proposito peccata fugiendi contentus, illi, cui magis obnoxius es, vitando, & quærendis, adhibendisque medijs ab ijs te liberandi te impende; fac etiam, ut
nul-

Nullus errorum tuorum sit impunitus; at- OCTOBER.
que hac de causa semper aliquam tibi pœ-
nitentiam injunge.

*Statue nunquam cubitum concedere, prius-
quam conscientiam tuam probè excusseris.*

Statue tibi speculam; pone tibi amari-
tudines, & dirige cor tuum in viam rectam.
Jerem. 31. 21.

Aliena discutientes, propria non aspi-
cientes. *Chrysof.*

DIES XVIII.

De Modo Officia sua ad- eundi, & obeundi.

I.

Officium nullum, nisi Deo vocante, ad-
eundum; ipse enim Dominus noster
est; ipse est nobiscum pro libitu agere.
Itaque ad id accedendum cum intentione
pura; cum enim Deus finis noster sit, ad i-
psam omnia dirigere nos oportet. Ad id
accedendum naturæ donis, & capacitate
necessaria instructum; homo, qui versa-
tur in munere, cujus incapax est, à via sa-
lutis aberrat. Si ad id accesseris necessa-
rijs dotibus ornatus, considerare te in illo
debes, ut Dei vices gerentem. Unde se-
qui-

October.

quitur 1. Non ferendum, ut quid in officio tuo contingat, quod honori divino adversetur. 2. Grandem tibi zelum esse necessarium, divinam gloriam, quantum penes te est, promovendi: id si negligas, prævaricator es. 3. Ea, quæ Dei sunt, omnibus alijs, etiam tuis, qualiâcunque ea sint, præhabenda, tæque paratum esse debere, ad ea, si id gloria Dei exiget, immolanda. 4. In exercitio muneris tui, in curis, quas in te suscipere obstrictus es, negotiorum tuorum, fortunæ, familiæq; tuæ, non agendum spiritu avaritiæ, vel ambitionis, neque ex motivo honestatis mundanæ, nec ex desiderio æstimationem tibi comparandi, neque ex affectu purè naturali; sed ut satisfacias voluntati, & dispositioni Providentiæ divinæ, quæ, cum huic muneri te applicarit, vult, ut eo ritè fungaris.

II. Persuasum tibi esse debet, tibi, quantumcunque momenti statûs, vel muneris tui negotia sint, aliud longè gravioris momenti negotium incumbere, nempe salutis tuæ. Unde sequitur. 1. Nunquam suscipiendum esse negotium, quantumcunque utile, & gloriosum id videatur, si id salutis tuæ repugnet. *Quid enim prodest homini, inquit Servator, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum*

Luc. 9. 25.

rum patiatur? 2. Sequitur, omnia alia negotia servire debere negotio salutis, ita ut hoc illis semper præhabeatur, & primas curas, præcipuumque studium sibi vendiceret. 3. Sequitur, omnia alia negotia ad hoc referenda, idcirco, quòd non modò summi omnium sit momenti, sed insuper finis aliorum esse debeat. 4. Sequitur, tam multa negotia non suscipienda, quamvis in se ipsis bona, ut ijs obruaris, & curæ salutis tuæ tantum tribuere temporis nequeas, quantum tanti ponderis, & difficultatis negotium exigit; nempe quotidie dimidium saltem unius horæ, quo in te redeas, aliquas horas singulis septimanis, queis in te ipsum inquiras, & singulis annis aliquot dies pro sacro quodam secessu.

III. Applica te muneris tui functionibus sollicitè, sine tamen anxietate, & animi inquietudine. Conare observare regulam S. Ignatij, agendi nimirum pro tua parte omnia eâ animi contentione, quasi negotium à te solo penderet; &, ubi omnia præstiteris, ita tibi diffidere, ac si omnia non nisi à Deo penderent, réque ipsi pro felici rerum exitu penitus committere. Opus est magna prudentia, & sensu valdè recto, ut cognoscas, quid in negotijs gerendis à te, & quid non à te pendeat; ut in


Octobes.

uno fortiter agas, & in altero Providentiæ divinæ modestè te submittas. Eorum, quæ ad exercitium muneris tui pertinent, nihil negligito; nec merum laboris, nec oblectationis amorem ad eò tibi dominari permitte, ut vel studio fugias, vel cum mærore amplectaris labores illi annexos. Nihil unquam perfectè ages, nisi munere tuo cum voluptate fungaris: atqui eo cum voluptate nunquam fungèris, nisi muneris tui capacissimus sis. Studiosissimus esto omnes observandi regulas; atque eum in finem labora, ut ijs probè sis instructus. In rebus dubijs Deum consule, ipsius lumen posce, id, conscientiamque tuam sequere, & praxin eorum, qui homines præ reliquis probi censentur.

Sedulò examina tuam in obeundo munere tuo agendi rationem, ut videas, an has regulas observes.

In omnibus operibus tuis præcellens esto. *Eccles. 33. v. 23.*

Memento proinde, non dico semper, sed interdum, reddere te ipsum tibi, utere tu quoque te inter multos. *Bern. de Confid.*



DIES

Quæber,

tia alicujus sæminæ, & honestas prorsus mundana virtutis locum obrinet; amor periculosus æstimationis nomine palliatur; occupatio vana strictæ obligationis nomine venit; & in periculo tantummodò mali versari nobis videmur, cum jam profundè malo ipsi impliciti sumus. Quis rueri se potest ab omnibus hisce fallacijs cupiditatis ad nos decipiendos ingeniosæ, nisi continua super motus cordis nostri vigilantia? verùm si hoc cor, dum opitulanti vigilantia rationis nostræ deberet, ad nos perdendos cum nostra cupiditate conspiceret, quid ab eo nobis expectandum? Vigila proinde, mi Deus, super nos, & pro nobis.

II. Vigilare nos oportet, ut nobis caveamus à laqueis, quos omnes res creatæ nobis tendunt, & ab omnibus objectis, quæ nos circumdant: omnia vel ob imbecillitatem, vel corruptelam nostram, nobis esse peccati occasio, & ad malum nos impellere videntur. Amici nostri nobis adulantur; inimici ad iram nos provocant; res amœnæ nos fascinant; odiosæ nos seditiones reddunt; potestas nos extollit; subjectio molestiam nobis parit; prosperitas nos emollit; calamitas affligit, otium languidos reddit, labor opprimit, divitiæ

insolentes, paupertas querulos facit; si ^{October} tentamur, animum despondemus, si tentationis immunes sumus multum nobis ipsis tribuimus. Et sic, inquit S. Augustinus, undique laqueis cinctos nos invenimus; omnesque res creatæ, quæ factæ non erant, nisi, ut ad Deum nos eveherent, ab eo nos remonent ob perversitatem, quam peccatum originarium cordi nostro indidit; & cum illæ creatæ sint, ut nobis essent salutis media, ejusdem nobis fiunt obstacula. Nihil est, excepta vigilantia Christiana, quod hanc perversitatem reparare, nosque aliquo modo primæ originis nostræ felicitati restituere queat. Sine hac quivis homo dicere cum infelici Cajno potest: procul recessi à præsentia tua, animum meum dissipando, & in res creatas effundendo; hæ mihi funestæ evadent ob lethiferas plagas, quas infligent cordi meo, quod defendere se non potest: quia nec Deo, nec mihi attendit, in qua tamen vigilantia omnes meæ vires consistunt.

III. Tertiò vigilandum, ut tuti simus ab hostium cum visibilium, tum non visibilium invasionibus: cum quibus enim hostibus pugnandum nobis non est? quantas insidias nobis non struunt? caro hostis domesticus tantò magis formidandus,

quantò minùs eum formidamus; quin imò amamus, & fovemus, quantas quotidie plagas nobis non infligit, nisi à clandestinis ejus conjurationibus cum hostibus nostris nobis caveamus: hic ipsis in cor nostrum aditum præbet per sensuum nostrorum portas, quas ipsis aperit, nisi per assiduas vigilias eos ingressu prohibeamus. Mundus, qui voluptatibus suis nos fascinat, suis axiomatis nos pervertit, promissis decipit, & per viam amœnã ad præcipitium abducit. Denique hostis ille potens, vigil, crudelis, astutus, qui mille nobis retia tendit. Decetne, ut minùs vigilantes simus pro salute nostra, quàm ipse in æternam nostram perniciem? quò fit, ut nos homines tranquillitati, vel miserandæ potiùs stupiditati indormiamus, ubi de salute nostrã obtinenda agitur; cùm diabolus quiescat nunquam, ubi de nostro agitur interitu?

Pete à Deo, ut suppleat negligentiam tuam, tibi que, & pro te vigilet.

Quod autem vobis dico, omnibus dico: **Vigilate.** *Marci 13. 37.*

Vigilemus super omnia opera nostra, ne vel omittamus, quod præceptum est, vel, quod est prohibitum, committamus.

Bern.

DIES



DIES XX.

De Verbo Dei.

I.

VERBUM Dei audire debemus. *Qui ex Deo est* (id est , prædestinatus) inquit Christus , *Verba Dei audit* : adeoque Verbi divini audiendi studium , juxta mentem Servatoris certum Prædestinationis signum est. *Propterea vos* (Verba Dei) *non auditis* , exprobrat Christus Judæis , *quia ex Deo non estis*. Hinc merito dixeris fastidium Verbi divini audiendi Reprobationis esse signum. Verbum æternum carnem humanam assumpsit , ut salutem æternam nobis afferret , eamque per Verbum temporarium nobis attulit : *Verba mea* , inquit , *Spiritus & vita sunt*. Sic Apostolus verbum Dei appellat *Verbum salutis*. Christus Dominus in mundum venit mediatoris functionis munere , Deoque nos reconciliaturus : sed reconciliavit nos per Verbum ; hinc etiam Doctor gentium id appellat Verbum reconciliationis. Salutem consequi non valemus absque fide : sed Verbum Dei cordibus nostris fidem inserit. Gratia instrumentum est ad salutem nostram

Posuit in nobis Verbum reconciliationis.

2 Cor. 5. 19.

Quomodo credent ei, quem non audierunt.

Rom. 10. 14.

October.

stram necessarium: Sed modo Providentiæ divinæ agendi ordinario Deus, qui gratiam justificationis, quam in Baptismo accipimus, aliquibus aquæ guttis committit, gratiam ad bonam frugem redeundi Verbo Dei affixit. Verbum interius, nempe gratia plerumque conjunctum est Verbo Dei exteriori. Si Magdalena Verba Christi non audisset, peccatrix mansisset, Deus Conversionem divi Augustini affixerat prædicationi S. Ambrosii. An non & tua affixa est huic concioni à te neglectæ?

II. Verbum Dei audire satis non est; sed id bene, & ut Verbum Dei audire oportet: *Gratias agimus Deo*, dicebat S. Paulus fidelibus Thessalonicensibus, *sine intermissione, quoniam, cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum; sed sicut est verè, Verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Si persuasum nobis esset, Deum esse, qui nobis loquitur per os concionatoris, quemadmodum ipsemet id affirmat, quanta cum reverentia id non audiremus? Legato alicuj Principis sui nomine loquenti idem habetur honor, qui ipsemet haberetur Principi, si is præsens adesset. Concionatores, inquit Apostolus, legati sunt Christi.*

1. *Thessal.*
10.

Qui vos audit, me audit Luc. 10.
v. 16.

pro Christo
legatione
fungimur.
2 Cor. 5.

Christi. Anne levitas illa, qua quidam October,
 laborant, traducendi, criminandique con-
 cionatores, convenit cum illa reveren-
 tia, quæ Iesu Christi legatis deberur? si
 Verbum audimus concionatoris, veluti
 Dei Verbum, cum attentione id audiemus.
 Annon homo aliquis, cui Rex loqui di-
 gnaretur, animadversione dignus esset,
 si illi dorsum verteret cum famulorum a-
 liquo confabulaturus? an nos minùs rei
 sumus, si mentem à Verbo Dei, quod audi-
 mus, sponte abstractam, frivolis, & for-
 san malis rebus occupamus? cor est, ad
 quod concionator loquitur: *Ponite in cordi-
 bus vestris.* Inquit Servator. Si cor, præ-
 sente corpore absens est, quomodo id
 Verbo Dei moveri potest? denique, si ver-
 bum concionatoris, ut Verbum Dei, con-
 sideremus, tum id cum docilitate audiemus.
 Imaginemur nobis, Patrem æternum no-
 bis æquè, ac discipulis Christi dicere: ipsum
 audite. Hic filius meus est, qui loquitur,
 hunc audite, huic credite.

Luc. 10.

v. 44.

III. Non satis est, Verbum Dei bene
 audire, sed fructum ex eo capere oportet.
 Hoc est divinum illud semen, quod ipse
 Dei Filius in corda nostra spargit, ut fru-
 ctum centuplum ferat. Væ tritis illis viis,
 animabus videlicet dissipatis, in quibus

E 5

ne

October.

ne quidem germinat fermen, à diabolo, qui cordibus hisce dominatur, ablatum. Væ terris illis aridis, & proin sterilibus, hoc est, cordibus inconstantibus, quæ una, eademque die elabi sibi patiuntur bona proposita, quæ concione animante concepere. Væ terris illis, quæ obsitæ sunt spinis, semen Patris-familias suffocantibus, cordibus nempe, quæ bonis terrenis immoderate addicta, aut mille frivolis implicata sunt negotijs, quorum amore negotium salutis penitus negligunt. Verbum meum, inquit Servator, vos judicabit, si ex eo fructum non capiat: *Verbum meum*, inquit per os Prophetæ, *non revertetur vacuum*: sed effectum suum certissimè habebit; si cor vestrum non emolliat, tum illud obdura-bit; si vos non reddat justos, justitiam certe meam manifestabit, vos verò condemnabit. Ah! Domine, si Verbum tuum semper est efficax, saltem efficax non sit ad pariendum effectum tam funestum.

Iſa. 43.

v. 11.

Examina te super amore, quo Verbum Dei prosequeris, & super modo, quo illud audis, & quos progressus ex eo facias.

Qui ex Deo est, Verba Dei audit. Io. 8. 47.

Tu laudas tractantem, ego quæro facientem. Aug.

DIES

DIES XXI.

De Necessitate Meditationis.

I.

QUAM modica fides est inter Christianos! modica hæc fides est origo ple-
rorumque nostrorum vitiorum, oblivio-
nis Dei, & neglectus salutis nostræ, in quo
vivimus; non quod fide penitus deficia-
mus, aut de Religionis nostræ veritatibus,
& Evangelij axiomatis reapse dubitemus,
sed hæc veritates supponimus, nec vivæ
eas fide credimus, nec accuratè expendi-
mus, vel certè non penetramus. Verùm
quid fidem nostram reddere vivam, & a-
ctuosam potest? nisi seriæ considerationes,
quas in oratione instituimus? difficile est,
ut, cum eæ tanti sint momenti, quanti re-
vera sunt, si penitus inspiciantur, ani-
mum nostrum non magnopere pulsent;
neque ad manum operi admovendam, ne-
que mores nostros emendandos nos com-
pellant. An non meditatio est, quæ hæc
veritates penetrare, & probare nos do-
cet? sic dici potest, quod, sicut fidei defe-
ctus origo est peccatorum in plerisque
Christianis, sic origo modicæ fidei, sit exi-
gua

October,

gua cura, quam habemus, meditandi magni momenti veritates ad salutem nostram spectantes. Plerique hominum in mentis percurbatione vivunt, quia sine consideratione vitam transigunt.

II. Impossibile est prosperum rei habere exitum in quodam magni ponderis, & per se difficillimo negotio, praesertim si hostes potentes non minus, quam vigilantes, & astuti eidem adversantur, nisi serio de eo cogitemus, nisi sollicitè quaeramus media obices, qui nobis ponuntur, superandi, & consilia hostium nobis obsistentium evertendi. An non salutis negotium magni momenti negotium est; quandoquidem hic agitur de re tanta, quanta est felicitas aeterna? an non id graves patitur difficultates, ob cordis nostri corruptelam, voluntatis imbecillitatem, mentis caecitatem, cupiditatum nostrarum vehementiam, & pravas consuetudines, ob tot periculosas, in quibus versamur, occasiones? Praeterea, an non Dæmon, mundus, & caro, quibuscum nobis configendum, formidandi sunt hostes? inveniturne quis iis potentior, vigilantior, & in perniciem nostram callidior? an igitur nobis polliceri felicem rei successum in negotio tam difficili possumus, sine attentione singulari ad nosmet

iplos observandos, ad omnes gressus bene Octobris
dirigendos, ad hostium nostrorum versu-
tias, omnesque laqueos, quos ipsi nobis
rendunt, detegendos? an non hoc est, quo
se meditatio occupat?

III. Dæmon haud ignarus, quanti ad
salutem nostram meditationis usus intersit,
sibi non deest, quin multos vanos obten-
tus nobis suggerat, queis ab ea nos aver-
tat. Aliqui impedimentum adducunt ne-
gotiorum, quod ipsis tempus non conce-
dat meditandi. Frivola sanè ratio. In-
cumbitne nobis gravioris momenti nego-
rium, quàm illud salutis nostræ? quis Chri-
stianorum id negare, imò dubitare de hoc
ausit? si verò meditatio medium est neces-
sarium ad finem hunc feliciter consequen-
dum, estne excusatione dignus, qui eam
negligit, quantiscunque demum distentus
sit negotijs? alij excusationis loco afferunt,
ingenij, & imaginationis suæ vivacita-
tem, qua incapaces reddantur uni se rei af-
figendi: verùm si hujusmodi homines pro-
lixæ meditationis capaces non sunt, quas-
dam saltem instituere considerationes po-
terunt. Vivacitas certè ingenij, & ima-
ginationis eos non impedit, ubi magni mo-
menti negotium habent, quò minus ani-
mum reflectant ad media, queis juvari
queant

October. **O** queant ad obstacula, quæ successum impedire possint, evitanda, & superanda. Cur non id ipsum possent pro salute sua? vide, quò referatur tota meditatio, quæ ab ipsis exigitur.

Statue quotidie saltem horæ quadrantem tribuere meditationi, vel piæ, & consideratæ lectioni.

Nisi, quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea. *Psal. 118. 29.*

Intellectus cogitabundus est principium omnis boni. *S. Aug.*

DIES XXII.

De Conformitate, quam habere nos decet cum interno animi sensu Iesu Christi.

I.

*Eph. 4.
v. 24.*

Induite novum hominem, inquit Apostolus, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis. Homo iste novus alius non est, nisi Christus ipse. Qui verò novum istum interioremem hominem induemus? per Conformitatem perfectam, quam cum ipso acquiremus. Hæc est similitudo interior, quæ imitationis nostræ fractus esse debet: ac quid est Spiritum Chri-

Christi habere? est idem de rebus sentire, **October.**

& judicare, quod ipse; est earundem rerum studio teneri, quarum ipse; est idem amare, quod Christus; est eadem habere principia, & finem actionum suarum, quem ipse habuit. Ex his regulis collige, an Spiritu Christi animeris, an id ipsum spectes, an Christianus sis. *Rom. 8. v. 9.* *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non est Christianus.* Potésne Spiritum Christi habere, si Spiritum mundi habes illi à natura oppositum? & si Spiritum Christi non habes, ésne Christianus?

II. Ut Spiritum Christi habeas, habere te oportet eisdem animi sensus, quos Christus habuit, de rebus judicare, sicut Christus de illis judicavit. Christus judicavit, veram sublimitatem consistere in humilitate, vel hanc esse regiã ad illam perveniendi viam; felicitatem Christiani in rebus adversis, veras divitias in paupertate, vel separatione à bonis terrenis inveniri; id, quod coram hominibus magnum est, coram Deo abominabile esse, locum postremum primo præhabendum; Is necessarium esse duxit, sibi ipsi renunciare, animam suam perdere ad comparandam ei felicitatem æternam; se ipsum verè amare, esse se odisse illo odio, quod vel causa, vel effectus est amoris, quo

quo

October. quo in Deum ferimur. Habésne de hisce rebus eisdem animi sensus, quos Christus? idémne de iis iudicium fers, quod ipse? Examina teipsum, scrutare cor tuum, quin tibi blandiare; si inveneris te idem cum Christo sentire, Spiritum Christi habes; & verus Christianus es. At si cor tuum contrarium tibi respondet, Spiritu Christi cares. Si verò Spiritu Christi cares, ésne Christianus? si Christianus non es, quis igitur es?

III. Spiritum Christi habere, est earundem rerum affici studio, quarum ipse afficitur; est amare, quod ipse amat: is amavit ærumnas, paupertatem, & sui contemptum non amore sensibili, sed amore æstimationis, non quòd eæ in seipsis amore dignæ forent; sed quòd essent media, summè idonea ad promovendam Patris sui gloriam, & hominum salutem: si Spiritum Christi habes, nec tamen ita animo comparatus es, ut ærumnas, & tui despicientiam ames, sicut ipsius exemplum ad eas amandas incitare te deberet, saltem æquo animo eas tolerato, quas divina Providentia tibi submittit, vel gloria Dei, proximi salus tolerandas suadebit. Spiritum habere Christi, est habere idem principium, eundémque finem actionum tuarum, quem
Chri-

Christus. Quodnam est actionum Christi principium? gratia, & charitas; estne hoc actionum tuarum principium? quisnam finis actionum Christi fuit? gloria Patris æterni. Estne hic etiam finis tuarum? si ita res se habet, Spiritum Christi habes; sin verò; non habes, nisi Spiritum tibi proprium, nisi Spiritum mundi, nempe Spiritum Reprobationis.

Examina te super his regulis, quin tibi assenteris, ut videas, an Spiritum Christi habeas, id est, an verè Christianus sis.

Induite vos novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. *Ephes. 4. 24.*

Quis beatam vitam arbitretur in iis esse, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei. *Aug.*

DIES XXIII.

De Pietate Erga Beatissimam Virginem.

I.

Pietas erga Beatissimam Virginem hæreticis superstitio est, ingenijs stoicis ineptiæ, novatoribus imprudentia: sed veri Christiani solidissimam esse pietatem credunt

F

dunt

October.

§2 *Considerationes Christianæ.*

dunt. Ea est solidissima, cum nitatur
firmissimo fundamento, quod est Christus.
Ea est illud Evangelij ædificium, quod,
cum supra petram sit extructum, nec ven-
tis, nec fluctibus, quibus verberatur, con-
cuti potest. Accedit consensus omnium
ferè fidelium, qui ad Beatissimam Virgi-
nem tot modis honorandam, suamque fi-
duciam in ejus protectione ponendam, ad
opem ipsius in omnibus suis necessitatibus
implorandam conspirant. Consensus u-
nanimis Sanctorum Patrum ad elogia ei-
dem concinnanda, ad tantas prærogati-
vas ei tribuendas, ad Christianos ad ejus
cultum animandos, eamque reconciliatri-
cem apud Filium suum eligendam: zelus,
quem Ecclesia præsefert, ad hanc pieta-
tem filijs suis inculcandam, ad cultum
peculiarem ei accersendum, ad Mysteria
ejusdem honoranda, ad tot Festa ad ejus
honorem instituenda, ad templa adeò ma-
gnifica extruenda, ad tot Religiones, qua-
rum scopus est Beatissimæ Virgini servire,
eamque venerari, instituendas. Denique
multitudo ferè innumera miraculorum,
quæ Deus quotidie patrat in bonum eo-
rum, qui ad Beatissimam Virginem con-
fugiunt, totidem sunt argumenta, quæ so-
liditatem istius pietatis satis, superque de-

mon-

monstrant. Qui hisce se non submittit, *October,*
vel cæcus, vel obstinatus, vel hæreticus
est.

II. Soliditas verò hujus pietatis in eo
consistit, quòd peculiariter nos obliget ad
Sanctissimam Virginem imitandam. Imita-
tio virtutum ipsius cultus est gratissi-
mus, quem ei exhibere valemus: omnis
cultus, qui eò non collimat, vel supersti-
tio, vel occupatio inanis est. Vicijs, quæ
ipsius virtutibus penitus adversantur, sese
dedere, dum ignavis eam precibus colimus,
est eam labijs honorare, corde verò
debitam ei venerationem negare. Salutem
æternam consequi non possumus, si Chri-
sto similes non sumus, sed, medium tu-
tum, & facile ei nos similes reddendi, est
Mariam imitari; hæc enim perfectum est
Ectypon divini hujus Prototypi. Forsan
lux, qua Christus circumfunditur, oculo-
rum nostrorum aciem perstringeret, si in-
spicimus intueremur: conijciamus proin-
oculos in Mariam, fidele hoc Ectypon;
hæc imbecillitati nostræ magis congruet.
Sic enim fiet, ut Matris lineamenta in no-
bis exprimendo Filio perfectè similes eva-
damus. Hæc non minùs, quàm Aposto-
lus, sed majori jure nobis dicit. *Imitato-
res mei estote, sicut ego Filij mei.* Imò plus

October.

faciet, quàm S. Paulus; nam, cùm nos ad sui imitationem invitet, certissimè gratias nobis impetrabit ad se imitandam necessarias.

III. Conari debemus omnes Beatissimæ V: virtutes imitari, nobisque persuadere, Filium ejus nobis dicere, quod Deus Moyfi dixit: *inspice, & fac secundum exemplar*, virtutum mearum, quod tibi veluti prototypon proponere debes, ut omnes ejus virtutes tua vivendi ratione exprimere studeas; præsertim verò tres, quæ illi præcipuè cordi fuere. Prima est Mariæ Puritas. Virgo omnium creaturarum purissima tolerare non potest cor impurum: & licet omne quidem peccatum horreat, præcipuè tamen libidinis vitium averfatur. Humilitas secunda est Virtus, quam singulariter imitari in Beatissima Virgine oportet. Hæc nec Mater Dei, nec sublimissima creaturarum effecta est, nisi, quia fuit humillima. *Ex humilitate concepit.* Hinc æquè, ac Filius ipfius nobis dicit: *Discite à me, quia humilis sum corde.* Hæc magis se accommodat humili peccatori, quàm justo superbo. Hunc enim superbix suæ relinquit, cùm illi conversionem ad bonam frugem accersat. Tertia, & præcipua virtus, quam in Maria imi-

imitari nos oportet, est amor in Filium suū. **October.**

Hæc Filium suū infinities plus amat, quàm seipsam; imò nil, nisi ipsum, vel propter ipsum amat: quidquid pro nobis agit, ad amorem hunc cordibus nostris inferendum collimat si; consilijs ipsius non respondemus, nihil de reliquo ab ea expectemus.

Examina te super tua in Sanctissimam Virginem pietate. Ea enim solida non est, nisi ad imitandas ipsius virtutes tendat.

Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. *Eccli. 34. 24.*

Imitari non pigeat, quod celebrare delectat. *Aug.*

DIES XXIV.

De Castitate.

I.

Castitas est virtus, quæ nos SS. Angelis æquales reddit. Illorum castitas felicitior, nostra generosior est. Illi carnem non habent, quam impugnent, nos eam habemus. Nos puritatem nostram in medio tot hostium, nisi per magna certamina, è quibus pauci admodum recedunt victores, conservare non possumus. *Virgini-*

October.

ras proximos nos Deo reddit : in Deo ipso, inquit S. Ambrosius, Prototypon quærit. Pater æternus Virgo, & Pater est. Idcirco Deus carnem humanam assumpturus è Virgine nasci voluit : Maria, cum Mater Dei salutareretur, & Mysterium hoc capere non posset, quomodo, inquiebat, cum hac Matris dignitate convenire potest Virginitas, quam ego, quocunque demum pretio conservare decrevi. Quantum igitur huius virtutis debet esse pretium, cum Maria adeò illustrata eam ipsi dignitati Matris Dei præhabeat, nolens eam Virginitatis suæ impensis emere? Christus Dominus intimum sibi in terris amicum adsciscere volens inter omnes alios discipulos, Joannem sibi elegit, quòd is Virgo esset. Servator, qui passus est, ut atrocissimæ in se calumniæ conijcerentur, ita, ut seductor, impius, & blasphemus diceretur, tanto tamen honorem castitatis suæ ruendi ardebat studio, ut à suis inimicis hac in re vel modicè se perstringi haud permiserit.

II. Deus animas castas extraordinario amore prosequitur, hinc ipsis peculiaritè sese communicat, arcana sua aperit, suorumque favorum eas participes reddit. Christus multas quidem gratias Petro contulit,

tulit, zelum ejus magnopere probavit; sed Octobea
præter Joannem castum, & Virginem ne-
mini concessum fuit in IESu pectore quie-
scere, divinumque hoc Sacrarium ingredi,
& præcipuorum arcanorum conscium fie-
ri: SS. Confessores, Martyres, Apostoli
magnis gaudent privilegijs; sed nemini,
nisi Virginibus concessum esse videtur,
Agnum sequi, quocunque jerit. Istæ sunt spon- Apo. 14. 6
sæ. Atque hæc illustris dignitas ipsis ubi-
bique aditum aperit. Virginitas est pre-
tiosus ille Thesaurus, cui conservando tot
animæ generosæ sanguinem, & vitam
suam consecrârunt. Conservatio hujus
Thesauri difficilis quidem; sed jactura ir-
reparabilis est. Gratia, ubi perdita fuit,
recuperari potest; sed Virginitas recupe-
rari nunquam potest. Et tamen tam fa-
cile nihil est, quàm eam amittere. Ni-
hilominus hunc Thesaurum periculo aded
temerè exponimus, &, ut videtur, eum
amittendi occasiones studio quærimus,
nósque felices reputamus ob jacturâ, quam
sanguineis lacrymis deplorare deberemus,
cùm ea sarciri nulla amplius ratione
queat.

III. Si vel modicum fidei, & rationis ha-
bemus; nihil negligendum, quo puritas
conseruetur. Si ea Thesaurus est, circum-

October.

ferimus eum in vasis fragilibus. Plus non requiritur, quam ut fallente vestigio cadamus, & cadendo hæc vasa adeo debilia frangamus, ac Thesaurum iis contentum perdamus. Quam præcautus foret homo, qui pretioso Thesauro oneratus, & per media præcipitia, vias difficiles, & lubricas ambulare cogereretur? an nos minus cautos esse decet, cum undique cincti simus præcipitijs, & laqueis, quos inimici nostri castitati tendunt? pleraque, quæ cernimus, sermones, quos audimus, totidem sunt laquei, quos diabolus nobis parat, nisi assidue nobis invigilemus, nisi omnes gressus nostros observemus; quot passus faciemus, tot lapsus erunt; qui nobis castitatem, gratiam, animam, & Deum nostrum, eripient. Heu me! tot Sancti speluncis sese inclusere, tot puellæ claustra quotidie ingrediuntur, tot alij ad servandam castitatem sanguinem suum fuderunt, & nos vel minimam occasionem paulo gratiorem immolare, vel levissimam nobis vim inferre non vellemus, sensibus nostris custodiendis, objectis periculosis declinandis, aut evitandis socijs, qui castitati nostræ funesti esse possunt.

Cum

Cum Sapiens nos doceat, nos, nisi Deo largiente, continentes esse non posse, puritatem assidue à Deo flagitemus. October.

Scivi, quoniam aliter continens esse non possum, nisi Deus det. Sap. 8. 21.

Gravem Castitas sortita est inimicum, euj semper resistitur. Aug.

DIES XXV.

De Zelo.

I.

Zelum non minus, quam charitatem habere obligamur: siquidem, quod calor est igni, id zelus est charitati: adeoque sicut, ubi calor non est, ibi nec ignis esse credendus est; ita, ubi zelus non invenitur, ibi nec charitas esse censenda est. Zelum erga proximum habere me oportet, si amorem erga Deum habeo. Hunc amorem testari debeo Dei gloriam promovendo; qui verò gloriam ejus promovere possum, nisi laborem, ut eum homines agnoscant, & ament. An non hoc est zeli negotium? si Deum amo, amo etiam id, quod Deus amat, idque eo modo amo, quo ipse amat: atqui Deus proximum

F 5 meum

October.

Io. 21. 17.

meum infinite amat; & ipsius amor eò spectat, ut nihil omittat, quo is salutem æternam consequi possit: an non igitur, si Deum amo, proximum meum amare, omnémque lapidem movere me oportet, ut eius saluti consulam? Christus Dominus cuius nostrum dicit, quod olim Petro: *Si amas me, pasce oves meas.* Hoc est: tantum age, quantum poteris pro salute fratrum tuorum: id autem facies, si me amas. Non amas me, si id negligis, quantumvis id, interposito etiam juramento asseverares.

II. Si animarum pretium cognoscere-
mus, anne zelus pro earum salute nos deficeret? an verò id ignorare possumus, cum videamus, quanti eas Deus aestimet: ipsius hac de re iudicium iudicij nostri regula esse debet. Quidquid Deus, sive naturam, sive gratiam spectemus, facit (& quid non facit?) ad animarum salutem collimat. Si Filium suum mittit in mundum, si vult, ut is in cruce moriatur, salutem animarum intendit. Filius Patris sui voluntati hac in re, quocumque demum id stet pretio, acquiescit, quia ego cognosco Patrem meum, & scio, quid ei placeat, nempe
Io. 10. 15. *ut animam ponam pro ovibus meis.* Zelum, & amorem suum erga animas ostendit in parabola boni Pastoris, per incensum studium,

dium, errabundam quærendi ovem, per **October,**

gaudium, quod præ sefert, eâ inventâ,
per fervorem, quo discipulos suos invitat,
ad rogandum Patrem suum, ut operarios
in vineam mittat; eosque urget, ut ipsi-
met in ea laborent; per commiserationem,
quam ostendit, dum videt tot populos ve-
lut oves pastore destitutos; per desiderium
vehemens, quo ardet, cruciatuum suo-
rum bibendi calicem, quantumcunque a-
marum, quod is saluti nobis sit futurus.
Denique per sancta illa desideria, quibus
crucem suam amplexatur, quod ea salutis
nostræ futura sit instrumentum. Possu-
músne intueri magni æstimationem, amo-
rem, & zelum, quo Deus animas profecu-
tus est, quæque pro earum salute egit, &
passus est, & eas non magni æstimare, nec
eas amare, neque parati esse ad omnia
præstanda, & subeunda, ut earum saluti
consultamus? ah! Domine, si zelo deficio,
causa est, quod amore tui caream.

Matth. 9.

38.

III. Si Christum amamus, possumúsne
sine dolore intueri tot animarum jacturam,
quas ipse tam tenerè amavit, & sanguine
suo redemit? an non possumus saltem ali-
quot conatus adhibere, ad impediendum
earundem interitum: *Cadit asina, & est, qui
sublevet eam. perit anima; nec est, qui adjuvet
eam.*

gam.

Oktober.

eam. Querebatur S. Bernardus. Infi-
tus, proh dolor! animarum numerus in
infernū quotidie præceps ruit; & quis eas
à lapsu inhibere nititur? si cæcum aliquem
in præcipitium quoddam jam jam dela-
psurum cernimus, clamore ipsum dehorta-
mur, & ad eum retinendum accurrimus.
Tot homines vel cætos, vel insanos cer-
nimus, qui fratres nostri sunt, furiosè ad
infernū properantes: an non vel sola hu-
manitas nos obligaret, ut ijs acclamare-
mus, eosque infinitorum malorum, qui-
bus sese implicant, admoneremus? quid
igitur charitas efficere non debet, quæ haf-
te animas, velut Christi sanguine redem-
ptas considerare nos jubet? possumusne
cum languore, & tranquillitate intueri a-
nimas sanguine tam pretioso tinctas in
flammas sempiternas ruere? si ad eas ju-
vandas vitam nostram immolare necessum
foret, possemusne, si vel modicum chari-
tatis erga Christum haberemus, nobis im-
perare, ut ijs non opitularemur? at mine-
ribus impensis succurrere illis possumus;
& otiosi tamen earum causâ nec minimum
laboris in nos suscipere volumus. Verùm
tranquillitas, mi Servator, super interitu
animarum tantopere tibi dilectarum mei
erga te languidi amoris est signum. An
verò

verò languor iste, cum amore, quem tibi **Octobes.**
debeo, convenire potest?

*Inquire, ut cognoscas, an salutis animarum
zelum habeas, & inde iudicium fer de tuo in
Deum amore.*

Tabescere me fecit zelus meus, quia ob-
liti sunt verba mea. *Psal. 118. 139.*

Ad hoc amicum amas, ut tecum amet
Deum. *Aug. Hom. 38.*

DIES XXVI.
De Exercitio Zeli.

I.

PLerique nomine zeli intelligunt virtu-
tem solis viris Apostolicis propriam,
vel alijs certè ultroneam, cum tamen om-
nes illum non minùs exercere sint obstri-
cti, quàm ipsammet charitatem, cujus il-
le necessarius est effectus. Zelus non est
sine charitate; sed neque charitas absque
zelo; *Deus, inquit Spiritus sanctus, man-
davit unicujque de proximo suo; modo tamen
diverso.* Viris, qui publico quodam
funguntur munere, vel authoritate pol-
lent, hac authoritate, quam in alios habent,
non utendum, nisi in eorum salutem. Sic
Parens necessariò obstrictus est familiæ suæ
stu-

October.

studere salutem, ad filiorum suorum educationem incumbere; curare, ut domestici sui bene instruantur, pièque vivere doceantur; qui si defectu hujus curæ peccent, & pereant, tum parens hic, vel Dominus pro illis redditurus est rationem: ac proin eorum salutem negligere non potest, quin propriam in discrimen conijciat; harum enim animarum jactura æternam ipsi quoque perniciem certissimè accerset. Deus ipse per Prophetam dicit: tu reus es de morte eorum: tu respondebis de animabus eorum.

Isa. 9, 20.

II. Persona publica habere zelum debet erga omnia, quæ ad ipsius officium spectant, & eò usque illum extendere, quò ejus se potestas extendit. Ea reddere debet rationem omnium publicorum scelerum, quæ non impedit, quæque idcirco sibi persuadet esse sine remedio, quia ipsa est sine zelo. Inveniret sanè media, malo occurrendi, si æquè de ipsius fortuna, ac de salute animarum ageretur, si æquè ageretur de bono Principis, à quo penderet, ac de honore Dei agitur. Quantumcunque in se bona esse videatur, si alijs bona non est, à Deo mala esse censeretur. Effet procul dubio sancta, si vitam ageret privatam; sed quia publicam agit, reprobabitur;

tur;

rur; damnatio aliorum, quam non impe-
 dit, propriam ipsi accerferet. Præcipue ve-
 rò Pastores animarum zelum habere obli-
 gantur: nam Christus peculiariter illis præ-
 cipit, ut oves suas pascant: *Pasce oves meas.*
 Is istos interfectores æstimat illarum, quas
 pabuli defectu perire passi sunt: *Non pavisti,*
 inquit ipsis: *occidisti.* Eheu! si anima pro-
 pria tantum nobis facessit negotij, quan-
 tum erit onus, de aliarum salute reddere
 rationem? an igitur mirandum, si viri san-
 ctissimi tam gravi oneri se subdixerunt?
 sed an non mirandum, quòd homines à
 sanctitate penitus alieni, si vel modicum
 rationis habent, aut fidei, id muneris am-
 bire audeant?

III. Homines etiam privati zelum ha-
 bere tenentur; sed alia ratione. Corre-
 ctio fraterna omnibus, nemine excepto,
 incumbit, ubi ea utilis esse potest: & sem-
 per ferè utilis est, si fiat cum moderatione,
 cum mansuetudine, & Spiritu charitatis.
 Si viderem hominem in abyssum quan-
 dam, jamjam lapsurum, quin de pe-
 riculo cogitaret; an non mors ipsius mihi
 imputari posset, si eum periculi non admo-
 nerem? amica admonitio, quam ei tempo-
 ri dabo, interitum impedire alicujus ani-
 mæ potest; sùmne coram Deo insons,

si

October.

si eâ supersedeo? zelus quispiam est omnibus hominibus communis. Atque hic alius non est, quàm studium, bono alijs exemplo prælucendi. Exemplum hominis virtutis studiosi, plus aliquoties boni præstat, quàm verba sacri cujusdam oratoris; id enim est exprobratio tacita, sed efficax, à qua minùs abhorremus, plusque proficimus. Divus Franciscus, cum in publicum prodiret, modestia, & humilitate sua concionabatur. Denique, quemadmodum preces instrumentum sunt potentissimum ad salutem animarum promovendam, sic & preces ille zelus sunt, quem omnes omnino homines exercere possunt; præsertim sacræ illæ Virgines, quæ à mundo separatæ præcipuam suam occupationem in oratione constituunt; istæ exemplo S. Theresiæ animatæ, mundi flagitijs frequenter ingemiscere debent, & ferventes, assiduâsq; preces Deo offerre pro peccatorum ad bonam frugem reductione, quæ non rarò precum animæ cujusdam ignotæ, & ferventis effectus est.

Statue habere tantum zelum, quantum tibi conditio tua permittit; in quocunque demum statu vivas; eum exercere exemplo, & oratione potes.

Man-

Mandavit illis, unicujque de proximo October.
suo. *Eccli. 17. 12.*

Debemus Deo incomparabiliter plus,
quàm nobis, fratri autem, quantum no-
bis ipsis. *Aug. de Trin.*

DIES XXVII.

De Visitatione Sanctissimi
Sacramenti.

I.

Beneficia, quæ Deus nobis contulit, nos
obligant, ut Dominum nostrum su-
per altari in Sanctissima Eucharistia resi-
dentem frequenter visitemus. Deus è
cælo in terram venit nos quæsiturus; &
nos ad ipsum aliquoties invisendum vix
pedem movere sustinemus. Is nostri a-
more in Sanctissimo Sacramento in nihi-
lum quasi se reducit, & nos per nostram
assiduitatem, & reverentiam, ei tantam
sui abjectionem compensare non cogita-
mus. Is nostri amore millenis in eo inju-
rijs se exponit; & nos eas sarcire non o-
mnibus viribus contendamus? si nobis in-
dicaretur, Christum in unico totius Vni-
versi loco, quantumcunque remoto, in-
veniri, nullus foret Christianorum, ut ut

G

mo-

October.

modicum fidei haberet, qui non sponte longinquum iter in se susciperet, ad eum invisurus. Is adstat nostris januis, domi nostræ, si in Religiosa Sodalitate vivimus, versatur; & nos tantum laboris subire volumus, ut eum ibi quæramus. *Non relinquam vos orphanos*, dicebat Christus discipulis suis; *sed ero vobiscum, usque ad consummationem sæculi*. Is illis, & nobis quoque promissa servat, semper nobiscum est; sed quàm raro nos cum ipso sumus. In tot locis, quot sunt Ecclesiæ, invenitur; verùm ad suam, nostramque confusionem frequenter ibi deseritur.

II. Amor, quem Christo debemus, nos obstringit, ut ipsum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento frequenter visitemus, Si fidum, & generosum habemus amicum, an non crebrò ad ipsum invisimus, præsertim si nobis vicinus est? an non volupe nobis est cum ipso versari, & colloqui? nunquam loquendi argumento cum homine summopere nobis charo destituimur; & si hoc nobis deesse posset, rædium tamen in ejus familiaritate versandi, nos haud subiret; ipsum videre, ab eoque videri, scire, nos ab ipso amari nobis sufficit; hoc contenti sumus. Si igitur sincerè, tenerèque Christum amamus, an molestum nobis

bis

bis accidat, ipsius consuetudine frequenter uti, & colloquia cum ipso miscere? Deo jucundum est cum hominibus agere, & sermocinari: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Et hominibus molestum sit, cum Deo suo agere, & colloqui? quanta caecitas! an non amor Christum compellit ad patranda infinita prodigia, ut ubique locorum, quod nos conferimus, inveniamur; ut, quocumque negotia nostra nos vocant, dum ab amicis avellimur, solatium habeamus Christum inveniendi, & amabilissima ipsius consuetudine fruendi, atque ipsum velut amicorum intimum consulendi, ejus voluntatem cognoscendi, necessitates nostras ei proponendi, & solamen, opemque impetrandi.

III. Utilitas nostra nos obligat ad Dominum nostrum in Sanctissimo Sacramento frequenter visitandum. Is ibi residet, ut preces nostras audiat, in afflictionibus nos soletur, nobis in necessitatibus succurrat, lumina sua nobis imperriat, amore suo nos inflammet, gratijs suis nos cumulet. Quanta igitur bona, quantos thesauros ibi invenire non possumus? si tam generosi non sumus, ut Christum in Sanctissima Eucharistia amantis, gratique animi impulsu visitemus, saltem id a-


Otober.

gere propter utilitatem nostram debemus. Si Princeps aulico cujdam paulò diutiùs, & familiarìus aures præbet, quanta gratia! quid is non agit, quò Principem sibi demereatur, atque inde fructum referat? an ergo minùs utilitatis à Christi favore nobis expectandum? ubi de æterna felicitate, vel miseria agitur? an non felicitas, & infelicitas perpetua majoris sunt ponderis, quàm frivola fortunæ nostræ commoda? an id, quod momento evanescit, in comparationem venire cum eo potest, quòd æternùm durat?

Statue non committere, ut dies prætereat, qua Sanctissimam Eucharistiam non visites semel saltem, si in sæculo degis, & sæpiùs, si in Religiosa Sodalitate vivis.

Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectionem firmaberis. *Eccli. 7. 39.*

Currunt multi ad diversa loca pro visitandis Reliquijs Sanctorum; & ecce apud me præsens es in altari. *Imit. Christi l. 4. c. 1.*



DIES

DIES XXVIII.

De Amore Dei.

I.

AMOR Dei primas ubique habere debet.

Itaque si Deum verè amo, plus eum amare debeo, quàm meos proximos, amicos, fortunam, quàm vitam denique meam; ita, ut paratus sim, omnia potiùs perdere, quàm offendere, & perdere Deum meum, ita, ut etiàm odium in ea concipiam, & ut verà mala horream, si ab amando Deo me impediunt, aut si me periculo exponant ejus jacturam faciendi. Consilium hoc illo Christi axioma nititur: *qui non odit Patrem suam, & Matrem suam, adhuc autem, &*

Luc. 14. 26.

animam suam, non est me dignus. Homo, qui Deum amat, non solum omnia sua bona, quàm amorem Dei, potiùs perdere, sed & omnia mala perferre paratus esse debet; ut non minùs, quàm S. Paulus exclamare queat: quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Sic animo

Rom. 80. 35.

G 3

Com-

Oaober. comparatus est, qui super omnia Deum amat. Sic & comparatus esse quis Christianus debet. Num sic animo affectus es? Eheu! minima diaboli tentatio, minimum commodum, minimum voluptatis illicium te quotidie à Deo tuo separat. Et his non obstantibus dicere non vereris, Deum à te super omnia amari, ejusque amorem primas in corde tuo sibi vindicare?

II. Amor Dei influere debet in omnia. Sine charitate nihil habeo, nihil sum, cum charitate omnia habeo, omnia sum. Quid

Addo charitatem, pro sunt omnia, detrahe charitatem, nihil sunt care
va. aug.

1. Cor. 13. v. 2. & 3.

quid in charitate non fit, quantumcunque bonum, esse videatur, coram Deo nullius est meriti. *Si habuero omnem fidem, inquit Apostolus, ita, ut montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Verum cum charitate omnia habeo, omnia possum, & nihil mihi constat. Si Deum amo, omnia habeo; omnes virtutes possideo: habeo fidem, spem, patientiam, prudentiam, fortitudinem, constantiam, humilitatem, zelum denique habeo: verbo, nulla virtutum mihi deficit. Sed charitas non tantum omnes mihi virtutes largitur, sed meas etiam virtutes exaltat, earum pretium auget, earum

sum mihi meritum accersit: aliae virtutes quidem juvare me possunt, ut ad Deum perveniam: at charitas sola Dei possessionem promeretur, sola ipso fruitur. Deum amare, Deum possidere, Deo frui, an non est id, quod hominem in caelo beatum reddit? an non igitur Paradisum caelestem terra facit? cum charitate non omnia duntaxat habeo; sed & omnia possum: Res difficillimae homini Deum amanti videntur faciles; quae alijs impossibilia creduntur, impossibilia ei non sunt; gravissima pro Deo tormenta perpeti, si Deum ardentem amamus, gaudere, & triumphare est. Quid agere, quid tolerare non possumus, si verè Deum amamus? si parùm propter te agere, si parùm propter te pati volo, mi Deus, inde oritur, quòd parùm te amem.

III. Amor Dei omnia moderatur; à charitate dirigi omnia debent. Virtutes ipsae in vitia degenerarent, bona opera in peccata verterentur, si hujc regulæ forent contraria. Pietas evaderet superstitio, oratio in occupationem inutilem, austeritates in imprudentiam, zelus in iracundiae imperus migrarent. Omnia charitati submittere se debent; Deus vult, ut me gratum benefactoribus præbeam; verùm,

October.

si hæc grati animi significatio impellit ad aliquid, quod charitatem Deo debitam offendat, tum ea vitiosa evadit. Amor, & obedientia erga parentes officia sunt homini à natura insita; si verò obstaculo sunt charitati; si mei parentes aliquid petunt amori, quem Deo debeo, adversum, amor, quo in illos feror, fit scelus, obedientia evadit prævaricatio, parentes mei fiunt mei inimici, ac proin eos non solum amplius amare non possû, sed odisse debeo.

Hactenus visus tibi es Deum amare. Vide, an amor tuus erga ipsum, omnibus eum præhabeat, influat in omnia, dirigat omnia. Hoc si non fiat, quàm dubius est amor tuus!

Si habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. *1. Cor. 13. 2.*

Sectamini charitatem, sine qua dives pauper est, cum qua pauper dives est. *Aug.*



DIES

DIES XXIX.

Christus est Pastor Bonus.

I.

Ego sum pastor bonus, inquit Christus. Hiscce ipsius verbis credere quidem possemus; vult nihilominus eorum veritatem nobis demonstrare per curam, quam suscipit, omnes boni pastoris partes erga oves suas implendi. 1. Quemadmodum omnes perfecte cognoscit, sic earum quamque nomine suo compellat, eisque loquitur eo modo, ut vocem ipsius intelligant, & ab alijs distinguant. 2. Ante eas vadit, ut eas ad pinguia educat pascua, ubi eas non tantum verbo, suaque gratia pascit, sed & propria carne nutrit. 3. Eas fortiter a luporum rabie, furumque fallacia tuetur. 4. Aberrantes zelo admirando quaerit, quin ab infidelitate ipsum deserendi, aut ab earum pertinacia ipsum fugiendi absterrent se patiatur. 5. Ubi eas invenit, tam benigne eas tractat, ut nec errorem ipsis exprobrat, quem tam boni pastoris ductui se subtrahendo admisere, nec laborem, quem ipsi creavere.

Io. 10. 11.

Proprias oves vocat nominativo. Ibid.

Ibid.

Non rapies eas quisquam de manu mea.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto & vadit ad illam, qua perierat.

Luc. 15. 46

G 5 II. Quia

October.

*Imponit in
dum:ros suos
gaudens
Luc. 19.*

*Congratula-
mini mihi.
quia inveni
voem meam
ibid.*

*Ego veni, ut
vitam hā
beant, & a.
bundantius
habeant.*

Io. 10. v. 10.

II. Quia verò aberrando fatigatæ sunt, iisdem opitulaturus, difficultatem reditûs, & labores, quos ambulando, & ad ovile suum revertendo subituræ essent, minuit, easque, licet labores ab ipso aberrandi propriâ sponte susceperint, humeris suis imponit adeò lætus, quòd illas caulæ suæ restituisse possit, ut omnes alios felicitatis suæ participes, neminẽque eju dem ignarum esse velit. Denique charitati, generositatiquẽ erga oves suas eousque fræna laxat, ut curas, & labores suos eis impendere non contentus, vitam etiam suam pro illis immolare cupiat, ut, sicut ipsemet ait, vitæ corporis sui jacturâ, eis vitam animæ, & quidem vitam abundantem, & æternam afferat. Et sanè, an non omnia erga nos boni pastoris implet munerâ? sed, possumusne dicere, nos veras ipsius oves esse? agimusne talem vitam?

III. Quoties, mi Divine Pastor, amabili tuæ directioni sequendæ adeò me subduxi, ut misera etiam cæcitate me crederem ductui furis cujusdam, diaboli videlicet, vel mundi, qui me non alium in finem ad se pellexit, quàm ut me perderet, & jugulareret? quoties me quæsisisti? & quoties ego sollicitudinem tuam in me quæ-

querendo contempsi, laborésque tuos in- October.
utiles reddidi? tu nihilominus animum
non despondisti, Domine. Jam probè a-
gnosco præteritos meos errores; & per
confusionem, atque dolorem, quem de
peccatis meis concepi, ac per sin-
cerum desiderium, quo flagro, ad te re-
deundi, sentio, defatigationes tuas non
penitus fuisse inutiles. Tuum est operi
tuo coronidem imponere, accommodan-
do te imbecillitati meæ; & cum adeò de-
bilem me inveniam, ut, ubi ad te redeun-
dum, ne gressum quidem ex me movere
queam; arripe manum meam, vel potiùs,
humeris me tuis impone in ovile tuum de-
laturus, in quo perleverare statuo, spe tre-
tus, me nunquam amplius inde recessu-
rum.

*Dic frequenter cum Propheta: erravi Domine, Psal. 118.
sicut ovis, quæ perijt: sed, nisi ipsemet me qua- v. 176.
ras, ad te redire non possum.*

*Bonus pastor dat animam suam pro ovi-
bus suis. Ioan. 10. v. 11.*

*Verè pastor bonus, quia plus suas oves,
quàm se amavit, & morti se tradidit, ut
nos à morte revocaret. Aug. Serm. 99.*

DIES

October.








DIES XXX.

De Providentia Dei.

I.

Providentia divina disponit omnia, eaque disponit suaviter juxta, ac fortiter. Omnia disponit, omnibus providet; ita tamen, ut non turbetur; omnium curam gerit, quin inquietetur; ad res infinitas sese extendit, quin se multiplicet; omnia quantumvis inter se opposita conciliat, quin se dividat; de minimis quibusque curat, quin se demittat; rebus maximis, & difficillimis se impendit, nec tamen laborat. Universi administratione se occupat, nec tamen rerum creatarum vilissimas negligit. Mundi creatio pluris ei non constat, quam unius culicis procreatio; & quemadmodum sol, dum caelos illuminat, lucemque suam astris impertit, illuminare tamen lutum, & ad procreanda minima insecta concurrere non cessat; sic Providentia Divina de alimento providet alicuj formicæ eadem curâ, quâ maximi Regis sustentationi providet. Cum peccato impediendo semper intenta sit, id nihilominus permittit, etsi illud oderit; gravissimos

mos tolerat errores, nec tamen errat. Et October.
ut sequatur justas leges, quas ipsa sibi præ-
scripsit, maximis sceleribus concursum
suum præstat, quin eorum sit complex, ef-
ficiens, ut maximæ immoderationes suæ
famulentur ordinationi.

II. Providentia divina disponit omnia
sed suaviter. *Tua, Pater, providentia,* in-
quit Sapiens, *gubernat omnia.* Idem de
providentia Dei loquens, appellat eum
Patrem, & non Dominum, ut ostendat,
Deum potius instar Patris, quàm Domini
gubernare, nempe cum Bonitate, & Suavi-
tate; cum ut filios, non ut servos nos tra-
ctet; & quidem ut filios illustri loco na-
tos, qui etiam tunc honorantur, cum in
eos animadvertitur, cum minæ ipsis inten-
tantur, ut emendentur. Idcirco Sapiens ait:
Cum magna reverentia disponit nos. Et verò, *Sap. 14.*
licet omnino de nobis statuere pro libitu
suo possit, cum sit Dominus, vix tamen,
quod vocationem nostram attinet, absque
consensu nostro aliquid de nobis statuit.
Licet summum in res omnes creatas teneat
imperium, eo in cor humanum non utitur,
cum id locus sit privilegio præditus; ubi
imperium summum non exercet: videre-
tur enim sibi in hominis jura involare, si il-
lius violaret libertatem; etsi prævideat
ho-

Sap. 12.
v. 18.

October.

hominis jura involare, si illius violaret libertatem; etsi prævideat hominem eâ abuturum ad peccandum. Ah! funesta jura, mi Deus, quæ mihi te offendendi potentiam suppeditant. Ac proin hoc jure lubens cedo; & consentio, ut eo me prives: id si feceris, injustus non eris, sed misericordiam in me exercebis. Cæterum verû est, eum libertatem meam gubernare; non verò cogere; propensionibus nostris cedit, seque accommodat, ut suis consentiamus, nostrisque etiam erroribus utitur, ut nos ad se reducat.

Exp. 8. v. 1.

III. Providentia divina, ut suaviter nos ducat, non minùs ducit fortiter: *attingit à fine usque ad finem fortiter*, inquit Sapiens, & *disponit omnia suaviter*. Habet enim media finem suum obtinendi certissima. Voluntas Dei quoties absoluta est, toties impletur. Atque ipsammet nostram voluntatem, quantumvis liberam, suaviter, & certissimè in quamvis partem flectere novit, quin libertatem nostram violet. Si homo beneficæ huic, misericordique voluntati sese opponeret, voluntati justæ, quæ punit illos, qui ei adversantur, submittere se cogeretur. Deus cuncta obstacula, etsi vim homini non inferat, superare scit; imò ipsis utitur obstaculis ad

con-

pro singulis anni diebus.

III


October

consilia sua certiùs implenda. Fratres Iosephi servituti eum addicunt, ut ipsius elevationi ponant obicem; & providentia divina hac ipsa servitute utitur, ad illum extollendum. Hæc persecutiones, quibus Saul Davidem exagitat, adhibet, eisdem certiùs ad thronum evehendo. Deus denique imperium diaboli destruit per ipsam potestatem, quam ipsi in filij sui vitam tribuit. Quid hac providentia admirabilius? quid tutiùs, quàm ejus directioni se committere?

Statue directioni Providentiæ divinæ te penitus committere.


Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Sap. 8. 1.

Nulla Creatura est, quæ non, velit, nolit, divinæ providentiæ serviat; facit enim cum ea, quæ ex animo servit, quod bonum est; de illa verò, quæ non vult, quod justum est. Aug.



DIES

October,



DIES XXXI.

De Sanctitate Dei.

I.

DEus Sanctus est, & infinite Sanctus est; is exemplar, regula, & origo omnis Sanctitatis, vel potius ipsa est Sanctitas. Sanctitas est consensio cum lege æterna. Et, nonne Deus est ipsamet lex æterna? Sanctitas est amor summi Boni; ipsemet hoc summum bonum est, seque infinite amat. Deus non modò Sanctus est, sed, præter ipsum, nihil propriè Sanctum esse dici potest: idcirco, quòd necessariò, & è natura sua Sanctus sit; unde & infinite sanctus est: *Tu solus Sanctus.* Creaturæ ex adverso, quantumcunque perfectæ sint, sanctæ non sunt, nisi per participationem; adeoque non sunt necessariò sanctæ; cum à sanctitate sua desistere, & peccare queant; ac proin in Sanctitate crescere semper possunt: sed quantumcunque demum creſcant, eorum ramen sanctitas Dei sanctitati comparata non est, nisi imperfectio, & nihil. Ea propter Christus eatenus consideratus, quatenus homo, appellari san-

2519

sanctus noluit. *Quid me dicis bonum?* in- October.
quit, *nemo bonus, nisi solus Deus.*

Luc. 18. 19.

II. Eadem sanctitas, quæ Deum ad seipsum amandum obligat, obligat pariter ipsum ad peccatum odio prosequendum, & tanto quidem odio, quanto amore seipsum prosequitur, nempe necessario, assiduo, & infinito. Quemadmodum amor, quo Deus in seipsum fertur, eum ad gloriam suam quærendam obstringit, sic odium, quo in peccatum fertur, ipsum obligat ad omnia agenda, ut peccatum destruat, utpote, quod ipsius gloriæ infinite adversatur. Quidquid agit, si gratiam spectemus, huc collimat. Cùm Deus sit infinite sanctus, non tantùm non velle, nec approbare peccatum, sed nec impunitum dimittere potest: & cùm ipsius odium adversus peccatum sit infinitum, noxam lethalem supplicio punit infinito, hoc est, Boni infiniti privatione, & ad spatium infinitum, nempe in omnem æternitatem. Quare etiam pro peccati reparatione satisfactionem exigit infinitam, dum ad illud expiandum Filium suum morti tradit. Quanta igitur Dei sanctitas, quantum ipsius odium adversus peccatum erit; cùm id in Filio suo, quem infinite amat, tam severe puniat, licet is peccati solummodò

H

fi.

October.

figuram habeat? quemadmodum nihil sanctitatem Dei clariùs nobis ob oculos ponit, ita nihil adeò peccatum formidandum reddit, quàm Deus pro peccati expiatione moriens.

III. Si Deus sanctus est, necesse est 1. Ut ejus sanctitatem veneraturi Seraphinis nos associemus, & cum profundo reverentiæ affectu sæpiùs dicamus: *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* 2. Obeyre nos oportet mandato Dei, qui nobis præcipit, ut sancti simus, sicut ipse. Non dicit nobis: potentes, sapientes, felices estote, sicut ego; sed, sancti estote, sicut ego. 3. Ut sancti simus, sicut Deus, sentire debemus, quod Deus; odisse peccatum, sicut ipse illud odit; id in nobis punire, sicut ipse punit; ipsius exemplo nihil omittere ad peccatum in nobis, & alijs destruendum; nec minimos defectus nobis remittere; sed potiùs nobis persuadere, eos, etsi noxæ leves sint, contemnendos tamen non esse, idcirco, quòd Deo infinitè displiceant. Lumen transiens, sed vivum, quod Christus Dominus impertijt sanctæ Mechtildi de sanctitate Dei, & aversione, qua peccatum derestatur, tantum apud illam momenti habuit, ut asseverârit, se, cùm hoc lumine esset
il-

pro singulis anni diebus.

115

Octobes.

Illustrata, parem futuram non fuisse peccatis suis aspiciendis, nisi Deus id ei subtraxisset. Ah! Domine, impertire mihi hujusmodi lumen, quo mea agnoscam peccata, quamvis inde præ dolore mihi moriendum esset; hoc enim inter singulares numerarem gratias, quòd tam felicem nactus essem sortem.

Assuesce, peccata tua considerare, ut sanctitati Dei opposita, si eorum gravitatem penetrare relis.


Sancti eritis: quoniam ego Sanctus sum.
Levit. 11. 45.

Non est sanctus, præter te; quia nemo, nisi à te. *Aug. de Civit. Dei.*



H 2 CON-

November.



CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

pro singulis Anni diebus.

N O V E M B E R.

DIES I.

De Festo Omnium Sancto-
rum.

I.



Anctorum exemplum ad sanctitatem sectandam animare nos debet, quemadmodum ipsi eam sectati sunt; hi Beati non sunt, nisi, quia sancti fuere. Propterea gloriæ ipsorum participes esse non possumus, nisi eorum sanctitatem imitando. Cæterum non imaginemur nobis, ipsorum sanctitatem à felicitate, non verò ipsorum generositate provenire: ut sancti evaderent, magno eis stetit. Eadem ipsis superanda fuere obstacula,

la,

la, quæ nobis, nos eadem, quæ ipsi, me-
dia habemus, & ad eandem quoque remun-
erationem adspiramus. Si ipsi eadem
obstacula, quæ nos, superare debuere, eâ-
que superârunt, dicere non possumus, id
impossibile esse, ut hac ratione à sanctita-
te lectanda nos eximamus. Si eadem no-
bis, quæ ipsis, media supererunt sanctita-
tem consequendi; tum difficultatem ni-
mis magnam allegare non possumus. Imò,
si difficultates adhuc majores subessent,
eâdem cum ipsis animi magnitudine eas
superare deberemus, cum ad eandem re-
munerationem adspiremus, ad quam ipsi
aspirârunt; vel certè huic remunerationi
penitus renuntiare.

II. Elias, inquit Scriptura, ad nos con-
solandos, homo erat, iisdem, quibus nos
imbecillitatibus obnoxius; Sancti, quod
sancti essent, non continuò peccati com-
mittendi fuere incapaces; subjecti enim
erant imbecillitatibus, defectibus, animi
commotionibus non minùs quàm nos;
& hæc omnia ad sanctimoniam eos evexê-
re. Si imbecillitatibus fuere obnoxij, ex
iis emergere noverunt; si animi commo-
tiones habuere, eas & impugnârunt, &
devicerunt; si defectibus laboravere, eos
correxerunt, & hac ratione sancti evase-

November. runt. Quid, amabo, asferre potes, quod re studio sanctitatis obtinendæ reddat immunem? an corporis habitudinem? habesne magis fervidam, quàm Divus Petrus? magis violentam, quàm S. Paulus? isti hanc corporis habitudinem servire sanctitati suæ docuere; an nimis tenerum in creaturas affectum? quis teneriorem habuit, quàm Magdalena? hæc eum convertere in Creatorem potuit; an vehementiam pravarum consuetudinum? quis vehementioribus, magisque inveteratis irretitus fuit, quàm S. Augustinus? eas tamen divina adjuvante gratia devicit. An multitudinem, & diuturnitatem peccatorum tuorum? Bonus Latio peccare non cessavit, nisi in Cruce, & in momento Sanctus, & Beatus evasit; an conditionem, statum, officium, ætatem, sexum tuum? an non cælum plenum est hominibus ejusdem conditionis, ejusdém officij, ætatis, & sexus, cujus tu es? cur igitur id non facies, quod isti fecerunt? cur non, æquè, ac ipsi sanctus fieri studebis? *Non poteris, quod isti, & isti?*

III. At fortasse non eadem tibi media sunt sanctitatem sectandæ, quæ Sancti habuere: auderesne hoc dicere, quin testimonium conscientiaæ tuæ mendacij te argueret?

ret? an non eidem Domino servis, *cuj ipsi November.*
servierunt? an is minùs bonus, minùs po-
tens, minùs liberalis est, quàm tunc erat?
an minùs fiducia in ejus auxilio ponere,
an minore cum fervore ei servire nos de-
cet? an non eundem Servatorem habemus?
an minùs amari à nobis meretur? an non i-
dem habemus Evangelium? an non
idæquè nostra, ac illorum est regula? an
minùs habet luminis, quo nos illustret? an
non eadem habemus Sacramenta? an vir-
tus sanguinis Iesu Christi eisdem insita mi-
nore vi pollet ad conferendam nobis san-
ctitatem? an gratiæ, quæ sanguinis hujus
pretium sunt, minùs efficaciam ad nos mo-
vandos, & emendandos habent? quí igitur
fit, ut eadem media eundem, quem in
Sanctis ediderunt, effectum in nobis non
edant? causa est, quòd non eodem modo,
quo ipsi, ad eas nos disponamus. Causa est,
quòd hæc media salutis nostræ negligamus,
causa est, quòd iis abutamur; causa est, quòd
per eadem media, dū iis abutimur saluti no-
stræ consequendæ ponamus obstacula. Ne
permittas Domine, ut hoc mihi accidat;
sed eadem benignitas, quæ te impellit ad
tot media mihi suppeditanda sanctitatem
consequendi, te moveat ad concedendas
mihi gratias illis bene utendi.

November. *Cum beatus esse non possis, nisi sanctus sis; nec sanctus esse, nisi tibi vim inferas, implora Sanctorum auxilium, & ad eorum protectionem confuge.*

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. 12.

Promittit mundus temporalia, & parva; & servitur ei aviditate magna: ego promitto summa, & æterna; & torpescunt mortalium corda. Imit. Christi. l. 3. c. 3.

DIES II.

De Purgatorio.

I.

STatus, in quo animæ Purgatorij detinentur, jure nostram exigit commiserationem. Hæ sunt animæ, quæ multa perpetiuntur, quæ torquentur igne, ab ira Dei succenso; cujus tormenta superant, quidquid non modò tolerari, sed queis nec crudeliùs aliquid in hac vita concipi potest. Purgatorij pœnis cõparari nihil potest, nisi pœna inferni: atque istæ, dempta diuturnitate & desperatione, majores illis non sunt. Extraneus aliquis, imò & inimicus ad commiserationem te moveret; si eum in hoc statu videres: verum amicus
tuus

tuus, frater tuus, mater tua, pater tuus **November**,
est, quem hoc igne ardente torqueri con-
spicis. Hi forsan non ardent, nisi quòd
immoderate te dilexerint. Hæc mala for-
tasse non perferunt, nisi, quòd nimis avi-
di fuerint, bona tibi congerendi. Et eo-
rum infelicitas, cujus vel causa, vel occa-
sio est amor, quo in te ferebantur, te non
movebit? forsne tantæ capax duritiei?

II. Non decet, ut commiseratione con-
tentus sis: spectaculum istud charitatem,
zelumque tuum, illis succurrendi animare
debet. Heu! animæ tam crudeliter ex-
cruciatæ ad hoc te sollicitant per suas lacry-
mas, per tenerum, quo te prosequaban-
tur, amorem, quem jure à te expectant.
Illæ ne minimum, quidem conatum ten-
tare possunt, quo se eripiant è flammis,
quibus alligatæ sunt vinculis non visibili-
bus: tu verò eas eripere potes; illæ satis-
facere non possunt justitiæ divinæ, donec
novissimum quadrantem reddiderint; tu
verò pro ipsis satisfacere minimis potes im-
pensis; illæ nullam sperare gratiã possunt,
quantumvis eam enixè flagitent; tu verò
eam ipsis obtinere potes: unica oratio, unica
voluntaria corporis afflictatio, vel impoten-
tium animi motuum compressio, unica e-
leëmolyana, minimum opus bonum, quod

November. Deo pro ipsis offers, eas sublevare potest. Id tibi modico constat, & ipsas multum juvat. An id eis negabis? quanta inhumanitas! dum ipsis opitulaberis, magnam apud Deum gratiam inibis; ipsas liberabis è dura illa necessitate, in quam ipsius iustitia, & sanctitas, repugnante quodammodo ejus amore, eas conjecit. De parente aliquo bene meremur, si ei virgas eripimus; quibus jamjam castigaturus est filium à se tenerrimè dilectum. Si animabus Purgatorij solatium attuleris, tibimet ipse beneficium præstabis; cum enim felicitatem suam tibi in acceptis referant, num tui obliviscuntur, cum eâ gaudebunt? & quid nobis obrinere à Deo non poterunt, si eum pro nobis precabuntur?

III. Status, in quo versantur animæ ignibus addictæ piacularibus, non solum commiserationem excitare, charitatemque tuam animare, sed & timorem incutere tibi debent. Id, quod illæ patiuntur, docere, te debet, quid sit noxa, quam nos levem dicimus, & quanto Deus odio in eam feratur; quandoquidem Deus, infinite misericors ob leve hujusmodi delictum in animas tam sanctas, sponas suas tenerrimè à se amaras, & à quibus tam perfectè amatur, tam crudeliter animadvertit.

Ignis,

Ignis, quo animæ tam piæ torquentur, docere te debet, quid sit peccatum veniale, à quo tam parùm abhorres, quòdque tam facile admittis; atque inspirare tibi debet propositum, mala tam gravia pœnitentiâ prævertendi. Brevi & modica tui ipsius afflictatione satisfacere potes pro diuturnis, & horrendis Purgatorij supplicijs, & hoc non facis? per modicum quid redimere nunc potes, quod olim caro tibi constabit; & id negligis? unicâ lachrymâ seriæ pœnitentiæ extinguere modò potes illas flammæ, quas torrentes integri tunc à te fundendi non extinguent; & non ploras? quanta cæcitas! Ah! quantopere olim deplorabis hanc socordiam; & quàm caro ea tibi constabit?


Examina te, ut videas, quomodo hætenus obieris munus tuum erga animas piacularibus flammis detentas, & statue nulli labori parcere ad eas juvandas.

Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.
2. Machab. 12. 46.

Ignis ille purgatorius durior erit, quàm quidquid in hoc sæculo pœnarum, aut videri, aut cogitari, aut sentiri potest. *Ang.*

DIES

November.



DIES III.

De Subtractione Gratiae.

I.

*Nunc autem
abscondita
sunt à te, eò
quòd non co-
gnoveris
tempus Visi-
tationis tuae.*

Luc 19. 42.

Et 44.

*Si scires do-
num Dei*

Joan. 4. 10.

*Ambulate,
dum lucem
habetis*

Jo. 12. 35.

SI gratiam contempnimus, optimo jure ea nobis subtrahitur. Gratia est Visitatio Domini, qua nos honorare dignatur. Si Januam ei occludis, eumque excipere recusas, recedit. Habésne querendi causam? potéstne is justius te punire? gratia donum est, quod Deus liberalitate prorsus gratuita tibi offert; & quidem donum, quod omnia bona in se comprehendit: hoc donum si repudias, id tibi offerre cessat; quid æquius? si eo careas, nulli, nisi tibi ipsi imputare debes. Gratia est lumen; si hoc tibi se offert; tu verò fenestras occludis; penes quem est culpa? non penes solem, sed penes te. Deus toties tibi lumina sua obtulit; & tu eis rebellem te præbuiisti. Si igitur iiste privat, ut cæcus maneat, an non cæcitatem tuam mereris?

II. Subtractio gratiæ pæna est terribilissima, quia Deus punit contemptum, qui in eam admittitur: hac pæna si nos castigat, nos ut hostes tractat. Deus aliquoties in nos animadvertit, velut Pater: id-
que

que ex misericordia, & in bonum nostrum. *November.*

Aliquoties punit, ut Judex; & per hoc vult, ut justitiæ suæ fiat satis; vult, ut crimen expietur; & non, ut peccator pereat; idque vult propter peccatum, non propter peccatorē. Sic punit in Purgatorio. Sed aliquoties punit ut hostis; atque offensam ulcisci, simulq; perdere sceleratū cupit: sic in inferorum carcere punit reprobos; sic nos punit, si gratiā nos privat; tunc enim ut hostis nos percutit: *Plaga enim inimici percussit te, inquit Propheta, castigatione crudeli.* *Jerem. 30 41.* Alia mala nobis esse ingentia bona possunt: hoc verò purum malum est, quod aliò desinere non potest, nisi in nostram perniciem, & reprobationem. Ah! Domine, alijs pænis lubenti animo me submitto, modò hanc â me avertas; eas in gratiis numerabo, si â supplicio tam funesto me servent.

III. Subtractio gratiæ potissima plerumque pœna est, qua Deus gratiæ contemptum, vel abusum punit. Conquerimur aliquoties de patientia Dei in tolerandis peccatoribus. At, proh dolor! clam vindictas exercet; quæ, cum videantur minùs manifestæ, non minùs tamen funestæ sunt; cum nempe peccatoribus lumen, cui sese opposuere, subtrahit, eosque fatali

tali

November, tali cæcitate percutit. Eheu! quoties animadvertit Deus hoc supplicio etiam in Christianos! & sanè, nisi plerique cæci esset, videremusne, ipsos in tâta Dei oblivione, in tanta salutis suæ incuria vitam transigere? videremusne, eos tam parùm formidare iudiciorum Dei rigorem, tam parùm laboris impendere eisdem prævertendis, quotidie se exponere, uti faciunt, effectibus infelicis æternitatis ob momentaneam voluptatem, ob exiguum lucrum, sese vanitati dedere, ea facinora felici sorti imputare, quibus Deus æterna destinat supplicia? an nos denique integros fallaci cum tranquillitate perseverare in peccatis, quæ eos odio Dei, ejusque horrendis vindictis obijciunt certas inferni victimas, si in hoc statu moriantur: cùm sibi polliceri nulla die possint, eam sibi non fore postremam. Quàm incredibile esse videtur hujusmodi cæcitas in aliquo Christiano! qua ratione hæc cum fide convenit, & nihilominus quantopere ea usitata est! an non & tu illius es particeps? si eam formidas, tantopere tibi formidanda non est.

Pete à Deo, ut te puniat potius quacunque aliâ pœna, quàm privatione gratiæ: & sæpè cum Propheta eum alloquere: Domine, ne projicias

eruas me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum November.
ne auferas à me.

Exhortamur, ne in vacuum gratiam
Dei recipiatis. *2. Cor. 6. v. 1.*

Sævis in occulto spargens pœnales cœ-
citates super illicitas cupiditates. *Aug.*

DIES IV.

De Mortificatione.

I.

DOctrina Christi ad mortificationem ita
nos obligat, ut ab ea immunis esse
nemo nostrum possit. Evangelium uni-
versum hanc nobis tradit veritatem. E-
vangelium liber est vitæ; sed Christus in
eo non nisi de mortificatione loquitur. Hæc
juxta ipsum unica via est, qua ad vitam
pervenire possumus. Hæc Servatoris ex-
hortatio toties iterata, qua docet, sibi ipsi
& inordinatis propensionibus renuntian-
dum, crucem suam portandam odium in
animam suam habendum, eamque perden-
dam, per viam angustam eundum; hæc,
inquam, exhortatio, quid nobis indicat,
nisi, quod carnem & sensus, animique mo-
tus subigere debeamus? Poterátne Chri-
stus potentius aliquid dicere? poterátne a-
mos

November. mor suis, quantumvis ingeniosus, huius præcepti vim eludere? imò poteratne terribilius quid nobis dicere, si hæc doctrina non consilium, sed præceptum completatur? potestne quis hac de re dubitare, nisi seipsum excæcare velit, ut stultè sibi blandiatur.

II. Mortificatio Christiana opus est non ultroneum, sed tale, ad quod lege divina tenemur. An non omnes Christiani Christum sequi, & ejus discipuli esse obligantur, cum non nisi ex hoc titulo Christiani sint? an nõ sibi ipsis renuntiare, crucem suam portare, hoc est genio, & naturæ suæ repugnare, ipsis incumbit? quãdoquidè, si Christo credimus, unum necessario sequitur alterũ? **Luc. 9. v. 23.** *quicumque vult post me venire, inquit, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie.* Si seipsum abnegare, corporis voluptates, & incompósitos animi motus reprimere, consilium tantummodò foret, cur minaretur animæ interitum, damnationem videlicet æternam iis, qui hac in re nimium parcere sibi vellent? alia via cælo potiundi præter viam arctam, non est. An non igitur omnino ex parte necessarium hæc incedere, si ad cælum pertingere cupimus? verum ut omnis hac super re dubitandi ratio nobis eximatur, Evangelium dilucidis verbis ostendat.

sten-

stendit, Christum, cum de sui abnegatione, de cruce portanda loqueretur, omnibus id præcepisse: dicebat autem ad omnes. *Luc. 9. 23.*

Nulla itaque dignitas est, conditio nulla, officium nullum, ætas nulla, sexus nullus, quem hac lege exemptum velit, sicut nullus est, qui à Christo sequendo eximitur.


III. Cum ergo Christus omnibus hoc dixerit: id utique dixit huic fæminæ delicatæ, & sensuum blanditijs deditæ, cujus præcipuum studium est, evitare, quidquid eam affligit, quidquid ei incommodat, quantumvis id ejus saluti utile, & fortasse necessarium sit; & quærere, quidquid ejus carni, sensibus & cupiditatibus lenocinatur, licet id ejus saluti sit perniciosissimum. Hoc omnibus dixit; ac proin id dixit huic homini libidinoso, qui nunquam novit, quid esset, carnem hanc rebellem, & corruptam subigere, quid immoderatos cupiditatum impetus reprimere. Itaque hac obligatione nemo est exemptus; neque ulla ratio quemquam eâ reddit immunem. Quid ergo te immunem redderet? tua dignitas? éstne illa eminentior dignitate S. Caroli Borromæi, cujus hodie festa dies agitur? quis unquam majorem in seipsum exercuit severitatem? quamvis Princeps esses, si tamen Christianus fores, ad mortifica-

November. ficationem tamen obligareris. An vitæ tuæ innocentia? si hoc ita se habet, mortificatio tibi necessaria est, præcautionis saltem loco. Quis S. Carolo innocentior fuit, & magis in seipsum austerus? An occupationes tuæ? habesne majores, easque gravioris momenti, quàm vir iste sanctus, cujus aliquamdiu incubuit totius Ecclesiæ, & dein magnæ Dioceseos cura? & tamen inter omnes hæc curas, & labores vitam agebat austeram, & eâ, quam Anachoretæ Thebaidos egerunt, severiorem. An non exemplum sancti hujus Antistitis ignaviam tuam tibi exprobrat, tuamque vivendi rationem damnat?

Confer te ad S. Carolum, eum precaturus, ut à Domino tibi obtineat spiritum mortificationis, cujus ipse tantopere fuit addictus.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me. *LUC. 9. 23.*

Crucem ferre est semetipsum mortificare. *Bern.*



DIES

DIES V.

De Fine Hominis, & Medijs
ad hunc finem pertingen-
di.

I.

DEus res creatas è nihilo suo protulit, ut ad ipsum nos ducerent; atque eæ reapse id præstarent, nisi sponte ab eo desisteremus. Voluptates plerumque innocentes nobis essent, nisi immoderati, sceleratique essemus. Bona terrena cælestium nos capaces redderent, si ejs juxta Dei voluntatem uteremur; sed ob corruptionem, quâ peccatum originarium cor nostrum infecit, quàmque peccata propria non parum auxere; res creatæ, quæ erant media ad Deum perveniendi, evadunt obstacula. Bona mundi nobis aut laquei, aut vera mala sunt, & pleræque voluptates aut funestæ sunt, aut periculosæ.

II. Dum creaturæ in quærendo Deo sociam nobis opem præbere deberent, accidunt, ut aliæ nos retardent, & morentur, aliæ in via derineant, aliæ ab ea nos divertant; aliæ à recto tramite nos penitus ab-

November. ducant. Neceſſe proin eſt, ut nos avellamus ab ijs, quæ nos morantur, quantumvis innocentes videantur; illas, quæ nos divertunt, quamvis aliunde ſint utiles, timeamus; illas verò penitus fugiamus, quæ nos in errorem abducunt, quantumlibet gratæ nobis videantur; illis verò arctè nos affigamus, quæ ad terminum noſtrum nos perducunt, licet eæ moleſtæ, noſtrisque ſenſibus adverſæ cenſeantur. Hoc eſt totum prudentiæ Chriſtianæ compendium. An non Domine, haſtenus, ut verè infamus, vixi, cùm tantopere ab hac regula declinârim?

III. Nemo eſt, præter te, mi Deus, qui in viam regiam reducere me poſſit, revocando me à meis aberrationibus, & reſtituendo in ordinem, quem tam ſapienter ſanxiſti, quémque ego tam ſtultè perverti, ſinem mihi ſtatuendo media, & rebus creatis immodicè, fruendo, quibus non niſi veluti medijs moderatè uti debebam. Eripe mihi ipſemet res hæcce creatas, quas nec poſſidere, nec amare ſine crimine poſſum; aut præbe mihi generoſitatem animi neceſſariam ad iis renuntiandum; ne permittas, ut illæ, quas mihi conceſſiſti ad ſublevandam imbecillitatem meam, alendæ cupiditati meæ ſerviant. Fac, ne, cùm ali-

quid

quid necessitati dederō, quidpiam corporis oblectationi concedam; fac denique, ut creaturis non utar, nisi, quatenus eæ ad te perducunt; qui solus felicem me reddere potes, quemadmodum summum bonum meum es.

Statue in omnibus actionibus tuis has regulas servare, quæ in compendio continent totam prudentiam Christianam; & ab iis nunquam declinare; cum id facere nequeas, quin aberres.

Creaturæ factæ sunt in tentationem animabus hominum, & in decipulam pedibus insipientium. *Sap. 14. v. 11.*

Ab uno te aversus, evanui in multa. *Aug. 2. Conf.*

DIES VI.

De Exiguo Numero Eorum,
qui salutem æternam consequentur.

I.

Numerus eorum, qui salutem æternam consequuntur, perquam exiguus est: *multi sunt vocati, inquit Servator, pauci vero electi.* Hanc veritatem S. Scriptura dilectis verbis nobis indicat, eamque figuris,

13 &

November. & similitudinibus illustrat: Paucissimi fuere, inquit Apostolus, nempe octo, qui in arca vitam suam conservavere. Sola Lothi familia servata fuit à flammis, quæ magnas illas quinque civitates absumpsere. E prodigiosa illa Israëlitarum multitudine, qui ex Ægypto exiére terram Promissionis petaturi, nemo fuit præter Josuem, & Calebum, qui eam fuere ingressi. SS. Litteræ numerum Electorum comparant paucis illis olivis, quæ in arbore remanent, ubi illa concussa, & agitata fuit, & paucis illis racemis, qui post vindemiam in vineis relinquuntur; paucis illis spicis, quæ messoris manum fefellere. Hæc est via illa aspera, & angusta, cuj pauci sese committunt; hæc est Janua illa, per quam non nisi pauci intrare possunt; hæc est illa civitas in monte sita, quem conscendendi pauci habent animum.

II Verùm, si hæc veritas non ita clarè in SS. Litteris proponeretur, an vel solario experientiâ nixa dubium hac in re nobis relinqueret? ad salutem consequendam Evangelio nos oportet credere, juxta ejus axiomata vitam dirigere, Christum sequi, vitam nostram vitæ ipsius accommodare, ipsius exempla imitari: sine hoc salus æterna non obtinetur. Atque hic est articulus

fi-

fidei. At quis hoc agit? ad salutem consequendam, oportet seipsum abnegare, crucem suam portare, vim sibi inferre, animam suam odisse; id est, sensus suos coërcere, incompósitos animi motus comprimere, propensiones naturales, & carni blandientes compescere. Quis hac de re cogitat? quis ad hoc obligari se credit? quis contrarium non agit? ut proin secura regula, cognoscendi, quid Evangelium nos doceat, quidque agendum sit, in hoc consistat; ut observemus, contrarium illi, quod plerique agunt Christiani; an non ex hac regula tutò judicare possumus, paucos salutem consecuturos?

III. Quanta igitur nostra cæcitas est, ad excusandam vitæ nostræ licentiam præterire ingentem illorum numerum, qui eò se abripi patiuntur, ut dicant: plerique sic vivere solent; cur nos aliter vivamus? plerique hoc agunt; cur nos aliud agamus? mala ratiocinatio, si ab Ethnico; peior, si à Christiano fiat. Ut proin bene ratiocinemur, contrarium penitus asserendum: plerique hoc agunt, itaque hoc agere non licet: cùm fides nos doceat, modicum esse electorum numerum. Agendum proin id, quod pauci agunt, ad salutem obtinendam. Universalitas est bona regula, si de

November. fide, non irem, si de moribus loquamur. Lata, magisque trita via est, quæ ad interitum ducit; itaque ea vitanda. Illa, quam à paucioribus rerum conspicis, ea est, quam terere debes, si æternam felicitatem adipisci cupis; idcirco, quod hæc eò te ducat.

Annon à torrente abripi te sinis? an non aliorum exempla ad delicta tua comprobanda apud te prevalent? statue contrarium sequi, secundum Evangelium vivere, & non secundum consuetudinem; idque agere, quod pauci agunt, si particeps esse cupis felicitatis, quam pauci possidebunt.

Multi sunt vocati; pauci verò electi.
Matth. 20. 16.

Esto de numero paucorum, si vis esse de numero Salvandorum. Aug.

DIES VII.

Pœnitentia Ad Usque Mortem non differenda.

I.

Pœnitentiam agere oportet; hoc non diffiteris: fides te docet, peccatorem sine pœnitentia salutem consequi non posse, & te peccatorem esse nôsti; id si è superbia inficias ires, conscientia propria
men-

mendacij te argueret. Verum pœnitentiam nunc agendam ad mortem usque differre cupis: cur tamdiu? non nimis citò fieri potest, quod fieri necessariò debet, saltem nisi perire velis. Si pœnitentiam ad mortem usque agere tergiversaris, quis tibi pollicitus est, tantum temporis in illo articulo tibi concessum iri? solus Deus, qui illius est Dominus, id tibi spondere potest. An is hoc tibi promisit? an non contrarium tibi comminatur? tot homines quotidie derepente moriuntur, qui eadem spe, quâ tu, nitebantur, tibi que moriendo dicunt: *hodie mihi, cras tibi.* Quod mihi hodie contingit, cras tibi contingere potest: id si fiat, quid de te erit? *Cogita, quòd de anima deliberas.* Anne tecum repuras, de salute tua agi, nempe de felicitate, vel infelicitate sempiterna? & tu tanti momenti negotium incertæ aleæ committis, tu, qui tam cautè, & securè in rebus nihili agis?

Chrysoff.

II. Verum, si certò tibi constaret, tempus tibi non defuturum, neque subita te morte obiturum, forésne in mortis articulo capax de agenda pœnitentia cogitandi, possésne tibi polliceri, te necessariam animi libertatem habiturum, negotio tam difficili seriò vacandi? homo, cujus corpus violento malo obrutum, cujus sensus sopiti,

November.

cujus omnes potentia fractæ sunt, cujus anima debilitata est, quia corpori affixa; homo qui affligitur ob crudelem hanc separationem ab omnibus iis, quæ ardentissimè, tenerrimèque amavit, qui mille rebus funestis, quæ ejus menti obversantur, divexatur, & intuitu propinquæ, & incertæ æternitatis terretur; homo, inquam, in hoc statu, in quo minimis negotijs, quæ animi quandam contentionem exigunt, impendere se non potest; an impendere se poterit, negotio tanti momenti, juxta ac difficili, quanti est bona confessio, cum vero de peccatis commissis dolore, sinceròque proposito, se posthac emendandi conjuncta? Hemicrania paulò vehementior incapacem te reddit confessionis ab octiduo instituendæ; & dolores mortis sat tibi libertatis concedent, confessionis obeundæ, à qua tota pender æternitas?

III. At licet Spiritus libertas tibi superpeteret, habebisne libertatem cordis, eamque à peccato aversionem, quæ ad pœnitentiam requiritur? Itaque fugere peccatum debes, & neququam expectare, dum peccatum te fugiat. Ad pœnitentiam agendam exigitur, ut peccator super omnia amet id, quod vel super omnia odit, vel contempnit; nempe Deum suum, animam suam,

suam, salutem suam, bona æterna; & extremum odium, atque contemptum concipiat in ea, quæ summè dilexit, nempe in mundum, carnem, & illicitas voluptates. Exigitur, ut homo avarus, libidinosus, iracundus, superbus, fiat humilis, castus, mansuetus, bonorum caducorum neglector; anne hoc intra momentum fieri? anne animus mutari, ut vestis, potest? hoc sane absque miraculo gratiæ fieri nequit. An verò sine horrenda temeritate salutem nostram spei alicujus miraculi credere possumus? Sacræ Paginæ nullius meminerunt, excepto bono latrone, qui in morte ad bonam frugem se receperit. Hoc prodigium fuit, ad quod patrandum opus fuit Deo, præsentem, & morientem.

Statue ex hoc momento morum emendationi studere; id enim si differas, nec tempore, nec voluntate tua, nec gratiã niti potes.

Vocavi: & renuistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo. *Prov. 1. 24. & 26.*

Remedia Conversionis nullis cunctationibus differenda sunt, ne tempus correctionis pereat tarditate. *Aug.*

DIES

November. : : : : : 

DIES VIII.

De Ratione, Quam Deo Red-
dituri sumus de naturæ, & gratiæ
donis, quæ ab ipso accepimus.

I.

Matth. 25. **D**iligentia Patrisfamilias illius Evan-
gelici in exigenda à servis suis ratio-
ne talentorum ipsis concessorum; & seve-
ritas, qua animadvertit in servum negli-
gentem, qui talento suo nihil fuerat lucra-
tus, sunt imago quædam accuratioris, &
rigoris, quo Deus post mortem à nobis exi-
get rationem talentorum, quæ nobis credi-
derat. Dedi tibi, inquit cuiusvis nostrum,
intellectum, quo me cognosceres, & tu vi-
xisti, quasi me ignorasses; voluntatem,
qua me amares; & tu eam usus es ad me of-
fendendum; memoriam, qua mei recorda-
reris; & tu mei penitus fuisti oblitus. Cor-
pus tuum concessum tibi erat, ut justitiæ,
& pœnitentiæ foret instrumentum; & tu
id fecisti instrumentum iniquitatis, & li-
bidinis: cum sanctitate imbuere deberes a-
nimam tuam per bonum sensuum tuorum
usum, eandem fœdasti illicitis voluptari-
bus, quas eidem indulxisti; sanitatem tibi

de-

dederam, ut eam cultui meo, tuæque salu- **November**
ti consecrares; hæc verò occasio fuit, &
fons tuorum scelerum. Anne formæ ve-
nustas tibi concessa erat, ut tuæ & aliorum
damnationis esset causa? omnes denique
corporis, animique dotes, quibus te cumu-
lavi, an ad nihil aliud utiles esse debebant,
quàm ut superbiam tuam foverent, & am-
bitionem tuerentur? quo modo responde-
bis ad hæc tam justas querelas, nisi veri-
tatis confessione, tuique confusione?

II. Parabola de Patre familias, qui vil-
licum suum rationem reddere de bonorum
suorum administratione jubet, nobis ex-
primit severitatem, qua Christus in judi-
cio particulari rationem à nobis reposcet
gratiarum, quas in nos congeffit, omnium-
que mediorem, quæ ad salutem conse-
quendam nobis suppeditavit: Dedi tibi lu-
mina tam vivacia, & urgentia, quæ te in
cognitionem muneris tui adducerent; num
ea secutus es? tot salubres cogitationes ti-
bi inspiravi, ut tibi peccati, mundi que hor-
rorem iniicerem, teque ad me traherem;
num iis respondisti? gratiâ meâ te animan-
te tot bona proposita concepisti? an
ea effectui dedisti? tot concio-
nes audijsti, tam multa legisti, & orâsti; an

*Redde ratio-
nem villica-
tionis tuæ.
Luc. 16. 2.*

November. ex iis fructum percepisti? an tot Confessiones te correxere? an tot Communiones sanctum te reddere? en talenti receptionem! ubi ejus usus? credebam, mi Deus, nihil mihi metuendum præter peccata mea in hac tam severa ratione, quam tibi reddere me oportet. Sed, pro! dolor! video, dona, & gratias tuas magis adhuc formidandas mihi esse: si enim eorum nihil accepissem, rationem reddere non deberem.

III, Dicam tibi, Domine, æquè, ac servus ille nequam: Ah! Domine, *Patientiam habe in me.* Concede mihi aliquid adhuc temporis. Neque tamen adeò temerarius ero, ut dicam tibi, quemadmodum ille, me, si tempus peto, eò id facere, quasi omnia, quæ tibi debeo, reddere possim; nam, heu me! cum justitiæ tuæ debeam decem talentorum millia, summam videlicet imensam, quam peccatis meis conflavi, sincerè fateor, me is solvendis imparem esse; idcirco te rogo, ut paulisper expectes tempus, quo iram tuam mitigem ad clementiam tuam confugiendo, & *judicem meum deprecando*: siquidem cum mei confusione agnosco, aliam evadendi spem mihi non suppetere, quàm in pœnitentia, tuâque misericordia. Nec alium thesaurum, quo
tibi

Math. 16.
26.

Job. 9. 15.

tibi faciam satis, præter satisfactiones *fi- November.*
lij tui, & infinitum sanguinis ipsius pre-
tium.

*Severum hoc examen occupa, à te ipso ratio-
nem exigendo, quò usus fueris talentis tibi à Deo
commissis, & gratis tibi ab eo concessis, atque a-
busum sarciri conando, quem in iis admisisti.*

Omni autem, cui multum datum est,
multum quæretur ab eo. *Luc. 12. 48.*

Cùm enim augentur dona; rationes e-
tiam crescunt donorum. *Greg.*

DIES IX.

De Odio, Quo Deus Pecca- tum prosequitur.

I.

Sanctitas Dei, & odium infinitum, quo
peccatum averfatur, sese prodidit in
cælo; cùm ex eo Angelos ob solum, & u-
nicum peccatum cogitatione admissum
præcipitavit. In Paradiso terrestri, cùm
Adamum ob unicam voluntatis divinæ
prævaricationem inde ejecit. In terra,
cùm eam diluvio vniuersali inundavit, &
infames illas Sodomæ civitates flammis ex-
tinxit. In inferno, ubi momentaneam
voluptatem suppliciorum æternitate pu-
nit.

November.

nit. Sed hoc odium clariùs adhuc se pro-
dit in monte Calvariæ. Homo-Deus in
Cruce moriens ad peccatum expiandum,
meliùs id comprehendere me docet, quàm
omnes aliæ pænæ, quibus Deus in illud a-
nimadvertit, quàm omnia, quæ excogitari
possunt, argumenta, quid peccatum sit.
Et verò, an tantopere mirandum est, quòd
Deus nec Angelis, nec hominibus parcat,
qui non nisi purum nihilum sunt, & tamen
beneficiis ejus cumulari grati animi loco,
quem ejus Bonitati debebant, nil nisi con-
temptù, & injurias rependerunt, eisque fæ-
dam aliquam voluptatem, modicũ comodũ
millies præhabuere? an non potiùs mi-
randum, quòd eos animo tam patiente to-
leret, & tam benignè cum illis agat?

II. Verùm id, quòd incutere nobis ter-
rorem debet, est, quòd Deus filium suum
æternæ oblectationis suæ scopum, tam
crudeliter castiget, quòd is sola peccati
immagine sit indutus, & quidem ex amore,
quo in Patrem suum fertur, è zelo gloriæ
ipsius, & ardenti peccatum destruendi de-
siderio, quod noverat ei tantopere adver-
sari: quousque enim ille iræ suæ effectus
non extendit, adversus filium tantopere
sibi dilectum? tradit eum, nullo crudelita-
tis genere excepto, hostium ipsius furori,
&

& dæmonum rabiei : addicit eum pænis *November*
 lævissimis, & summè ignominiosis. Filius
 ad Patrem confugit, sibi que parci cupit :
 Pater verò, ut videretur, eum audire dedi-
 gnatus adeò in ipsum animadvertit, ut Fi-
 lius iste, quantumvis ei se penitus submi-
 serit, imperare sibi non possit, quin se ab
 eo desertum esse queratur: *Deus Deus meus, Matth. 27*
ut quid dereliquisti me? Non amplius eum *46.*
 Patrem vocat, sed Deum suum, idcirco,
 quòd ipsum non ut Filium suum, sed ut
 hostem, imò ut maledictionis scopum ex-
 cipiat; *Factus pro nobis maledictum. En Galat. 3. 13.*
 quousque sola peccati species Hominem
 Deum deduxerit. Quid igitur illis, qui
 reapse contaminati peccato sunt, non me-
 tuendum?

III. Itaque in Calvaria monte, in Cru-
 ce considerandum est peccatum, si de ejus
 malitia ferre sententiam velimus: montis
 hujus aspectus meliùs, quàm aspectus in-
 ferni, concipere me docet, quid sit pecca-
 tum. Rex aliquis, qui proprium filium
 morti addicit, efficit, ut meliùs compre-
 hendamus iræ suæ gravitatem, quàm si in-
 tegrum populum immolaret. In lacerato
 Christi corpore, in transfosso ejus latere
 considerare peccatum debeo, & non in fal-
 sis luminibus cordis alicujus perversi, & a-

K

ni


November,

nimi immoderatis affectibus excæcati ;
vel in corruptis mundi judicijs. Si te in-
tueor, mi Servator, in Cruce, ad confiden-
tiam me allicis ; at si te aspicio tam crude-
liter à proprio Patre tractatum, propterea,
quòd peccatis meis oneratus sis, timorem
mihi injcis : si enim in insontem, in San-
ctum Sanctorum ita sævitur, quid de sce-
lerato fiet? si filio non parcitur, an servo
parcetur? si tam severè castigatur is, qui
nonnisi imaginem peccati gerit, quid de
ipsomet statuetur peccato?

*Ut peccatum probe cognoscas, assuesce id in-
tueri in Vulneribus Servatoris tui, & non in cor-
rupti cordis tui luminibus.*

Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido
quid fiet? *Luc. 23. 31.*

Innocens affligitur, ut noxius libere-
tur; ut redimatur Servus, occiditur Filius.
Aug.



DIES

DIES X.

De Fraudibus, Quibus Dæmon
 utitur, ut imminuat horrorem,
 quo peccatum libidinis averfa-
 ri debemus.

I.

DEus peccato associavit verecundiam,
 ut hac animi affectione, qua homo ad
 gloriam fertur, utatur ad eum à peccato
 avertendum: peculiariter verò verecundia
 affixa est peccato libidinis: ea propter fla-
 gitium turpe appellatur. Inanis gloriæ
 cupiditas homini aliunde tam perniciofa,
 deberet, ut videretur, magno eidem esse ad-
 jumento, quo se à libidinis peccato tuere-
 tur; cum id admittere non possit, quin pro-
 brò se operiat. Una proin è periculosis-
 simis diaboli fraudibus ad impediendum
 hominem, quò minùs ex illa emolumenta
 tum capiat, est illum excæcare, amovendo
 ab hoc peccato omnes idæas eidem anne-
 xas, quæ pudorem homini iniicere possent;
 hoc est, aliam ei speciem inducere; hoc est,
 illud ornare. Est, inquiunt, imbecillitas,
 sunt nugæ, est clandestinum commercium,
 est bona fortuna. Quis crederet, hisce no-

K 2

mi-

November. minibus crimen regi, quod Servatoris nostri cruciatus, & mortem renovat, ac simul eam reddit inutilem tot animabus, quas ad interitum deducit; damno nunquam reparando; scelus, quod Deus infinite averfatur, quod toties modo tam horrendo punivit, & cui æternum ignem destinavit.

II. Eadem fraude Dæmon utitur erga Christianos, qua usus fuerat erga Æthnicos. Invenit is medium miseros hosce, ac cæcos omnis generis sceleribus implicandi, dum hujuscemodi flagitia in eorum diis consecravit: persuasit illis, ut adorarent Jovem adulterum, Venerem libidinosam, ut gravissimis sceleribus, cum ea quodammodo consecrata essent, liberiùs immergere se possent, & quasi spiritu Religionis scelerati evaderent. *Fiunt, & miseris religiosa*

Cyprian.

delicta. Dæmon, cum libidinis peccatum consecrare non possit, inter Christianos, qui profitentur, se adorare Deum infinite purum, Deum è Virgine natum, conatur saltem, si id reddere honestum nequeat, ab eo amovere omnes idæas infames, & turpes, quæ ab eo separari non posse videntur, illudque pulchris nominibus, quibus delectatur, ornare, ob multitudinem, & dignitatem personarum, quas illi obnoxias

red-

reddit, vel certè persuadere cupit, eas obnoxias esse: nam, ut S. Cyprianus ait, vitia, ut videtur, cessant esse vitia, si sunt communia, & ubi illi, qui autoritate quadam pollent, eisdem dediti sunt, quandam quasi autoritatem sibi conciliant.

III. Hinc fit, ut homines, quibus honor, pudorque cordi est, quique aliquem Dei timorem habere creduntur; & proin à peccatis obscænis penitus abhorrent, si ea proprio nomine appellarentur; si ipsis diceretur de adulterio, & fornicatione. Inde, inquam, fit, ut mansuesceri erga hæc scelera videantur, cum ea bellis nominibus ornantur; suamque turpitudinem exuere credantur; cum speciem externam tam amœnam habent: unde fit, ut ea ferè considerent, velut actiones adiaphoras, nec religioni sibi ducant, eas ordinarium colloquiis suis præfigere argumentum; etsi eas Apostolus ne quidem nominari velit à Christianis, quas ipsi facietiarum, & quod consequens est, oblectationis suæ sibi statuunt materiam. Atque hoc vitium adeò ingravescit, ut inveniantur Christiani, qui in sensum adeò reprobum cadant, ut ansam capiant gloriandi de hisce peccatis, quæ ipsos infames reddunt oculis Dei, & hominum, qui non penitus depravati

November. sunt, qui que ipsos olim opprobriis æternis obruent, nisi hanc infelicitatem pœnitentiâ prævertant. Ah! Domine, averte à me tam enormem cæcitatem.

Statue nunquam loqui de peccato libidinis, vel certè cum honore de eo loqui.

Fornicatio autem, aut omnis immunditia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes. 5. 3.*

Fiunt & miseris religiosa delicta, dum deos suos, quos venerantur, imitantur, *Cyprian.*

DIES XI.

De Otio.

I.

OTium nobis vitandum, & labor amplectendus, ut sarciamus malum, quod fecimus. Homini in statu etiam innocentie otioso esse non licuit. Quiere quidem gaudere debebat; sed quiete, quæ actionem non excluderet, imò laborem aliquem exigeret; is laborasset, sed absque fatigatione: & labor fuisset occupatio, omni difficultate immunis. Ut primum verò peccatum admisit, Deus eum ad laborem condemnavit difficilem: *in sudore vul-*

Gen. 3. v. 19.

vultus tui, dicit ei Dominus, vesceris pane tuo. Simul ac noxæ reum se fecit, ad pœnitentiam condemnatus est, sed esse pœnitens non potuit, quin labori sese subiceret. SS. Patres pœnitentiam appellavêre Baptismum laboriosû: nihilominus gravissimorû scelerum rei omnium sunt otiosissimi; quia in peccati perseverantia sunt obstinati. Et hæc eorum obstinatio ipsos reddit otiosos: quemadmodum verò otium ipsis vitiorum est occasio, sic ipsos ad pœnitentiam incitare deberet. Si dolore de peccatis suis tangerentur, tum pœnitentiæ suæ labores strenuè amplecterentur: at, cùm peccatis immerfi simul, & rebelles sint, subducere se volunt sententiæ, quam Deus adversus ipsos in Adami persona tulit.

II. Virandum nobis otium, ut evitemus mala, quæ facere possumus. Otium omnium vitiorum Mater est, & Magistra, inquit Spiritus sanctus; *multam enim malitiam docuit otiositas.* Homo, qui non habet quod agat, omnia potest agere. Homini occupato non nisi unica tentatio est metuenda; cùm otiosus omnibus obnoxius sit. Dæmon mille habet anfas, quibus eum invadat, cùm ille nullam habeat, quâ se defendat. Homo otiosus expositus est

Eccli. 33. 29

K 4 omni-

November. omnibus diaboli astutijs, quin ulla ei in ir-
ritum cadat; itaque optimum remedium,
quod homini, præsertim à libidine tentato,
dari potest, est multum se occupare. O-
tium omnes virtutes pellit; possuntne ea
absque labore acquiri? aditum in cor vi-
tiji omnibus aperit. Homo otiosus non
raro abominabilis, & inutilis homo est, inquit
Job. Scriptura asserit, quod hæc sunt mi-
quitas Sodomæ, saturitas panis, & abundantia,
& otium ipsius. Otium Davidis ansam
præbet obtutui inconsiderato; & hic ob-
tutus incautus adulterio. Quænam causa
est perversitatis tot juvenum? ipsorum
otium: occupa illos, tum infantes erunt.

Job. 15. 19.

Ezech. 16.

49.


III. Otium nobis fugiendum, ut bo-
num, ad quod obligamur, faciamus: tam
multa nobis obeunda incumbunt munera,
ut ij, qui eorum multitudinem, & momen-
tum nörunt, nihil querantur, nisi tempo-
re se destitui: ij, qui tempore abundant,
munera sua vel ignorant, vel eorum cu-
ram habere negligunt. Si officijs statui
nostro proprijs satisfacere velimus, an no-
bis occupatio deerit? si vir aliquis officium
aliud non haberet; si mulieri alia non su-
pereretur occupatio, præter familiæ suæ cu-
ram, liberorum suorum educationem, præ-
ter assiduam super domesticos suos vigi-
lan-

lantiam, haberetne otio indulgendi tempus, si omnibus muneris sui partibus satisfacere vellent? at quantam nos occupandi ansam nobis officium Christiani suggeret, si munus hoc ritè obire velimus? qua ratione mulier aliqua nobilis otiosa esse potest; quasi nihil habeat, quod agat? potestne dicere, laboris nihil sibi superpetere; cum tamen tot inveniantur miseri, quos consoletur, tot verecundi pauperes, vel ægri, quos sublevet, tot captivi, quos visitet? Christus Servator noster, cujus ij membra sunt derelicta, altaria, nudata, ipsius opem implorant, laborem exigunt. Et illa nihil habeat, quod agat?

Statue, nunquam otio te dedere. Si fatigatus es à precibus, lege: si fessus es à lectione, labora; & sic evitabis otium, & fastidium.

Multam enim malitiam docuit otiositas. *Eccl. 33. v. 24.*

Facite semper aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. *Hieron.*



November.



DIES XII.

De Modo se Occupandi.

I.

Non satis est, otium fugere, seque occupare; sed oportet se bene occupare. Non satis est laborare, sed laboribus suis modum ponere oportet; ac proinde necessarium est, ut labor in principio suo ad rationis normam exigatur. Multi vitant otium, neque parum se occupant, semper in actione, semper in motu versantur; sed hoc est cupiditate, quæ eos ad motum animat, non verò est gratia, vel ratione oritur. Quantis laboribus ambitio quotidie non implicat hominem, qui eminere quocumque demum pretio cupit? ad quantas defatigationes subeundas avaritia non impellit mercatorem aliquem? quibus itineribus, quibus periculis eum non exponit? quantumcunque homo voluptati deditus, quietem amet, quantos tamen labores in se non suscipit, ut cupiditati suæ faciat satis? quantis difficultatibus voluptas sua ei non constat? omnes multum laborant, seque fatigant, & tandem, ut inquit Sapiens, *fateri coguntur: lassati sumus, sed, in via ini-*
qui-

Sap. 5. v. 7.

quitatis. Si tantum laborarent ad salutem suam in tuto collocandam, quantum laborant ad satiandas cupiditates suas, sancti forent. November.

II. Non sufficit, bene se occupare; sed oportet, se non nimium occupare. Non sufficit, occupationes esse bonas; sed modum insuper eis statuere debemus. Quantumvis enim in seipsis, & in principiis suis laudabiles sint; laudabiles tamen esse desinunt, ut primum sunt immoderatae. Non minus ferè inconveniens est, nimium agere, quàm nihil agere. Occupationes nimis magnæ, quantumlibet bonæ sint, spiritum dissipant, cor exsiccant, & homini libertatem, ac tempus furripiunt, quibus ei opus est ad impendendum se grandi illi salutis suæ negotio. An intueri absque commiseratione, quin & indignatione possumus homines, qui, cum animantur ad eligendum sibi tempus pro salute sua laborandi, prudenter se agere arbitrantur, ubi ad se purgandos afferunt, propter occupationes suas tempus sibi non suppetere: an ne gravioris momenti negotium ipsis incumbit, quàm negotium propriæ salutis? si dicere audent, tempus sibi non suppetere de salute sua cogitandi, an non id ipsum ipsis exprobrandum, cujus Martha à Christo

sto

Nóvember. *sto arguebatur? sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium, salutis nempe negotium.*

Luc. 10.

*Lib. 2. de
Consid.*

2, Cor. 9.

III. Non modò non nimiùm laborandum, sed etiam non adeò laborandum aliorum gratiâ, ut nostri ipsorum obliviscamur: Visne, inquit S. Bernardus, exemplo S. Pauli omnibus omnia fieri? laudo charitatem tuam; sed hæc univèrsalis esse debet: cur ergo te ipsum ab ea excludis? *quid prodest homini, si mundum univèrsum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Totus mundus te possidet; & tu te ipsum non possides. Nemo est præter te, qui laborum tuorum fructu non gaudeat; debitorem te esse credis sapientibus, & insipientibus, ut Apostolus ait, & tibi te ipsum negas? si is, qui deteriores partes eligit, maledictionem Dei meretur, quid de illo fiet, qui nihil sibi eligit? *qui sibi nequam, cui bonus? est sapiens animæ suæ sapiens.* Postquam omnia dedisti alijs, da saltem subinde te tibi ipsi, nec soli tibi esto inutilis.

Eccli. 14.

v. 5.

Eccli. 27.

v. 25.

Statue te occupare; sed bene occupare, & salutem tuam constituere præcipuam tuam occupationem.

Si Sapiens fueris, tibi met-ipsi eris.
Prov. 9. 12.

Vtere tu quoque te inter multos, aut novembet,
certè post multos. Bern.

DIES XIII.

De Fervore in Cultu Divino.

I.

NON solummodò Deum amare, ei que
servire, sed eum ardentè amare, &
ei servire, obstricti sumus. Memoria
Beneficiorum, & utilitas nostra id à no-
bis exigunt. Memoria quidem beneficio-
rum; nam Christus nos amavit, nobisque
serviit cum fervore, nulli labori pepercit,
ubi agebatur de amoris sui ardore testando.
Quid enim hunc in finem à primo ad ulti-
mum vitæ suæ momentum non egit? ad
nihil aliud intendit animum, quàm, ut a-
moris sui vehementiam testatam nobis fa-
ceret. Omnes labores suos non nisi nobis
impendit, nihil egit, nihil locutus est, ni-
hil oravit, nihil laboravit, nisi nostri cau-
sâ. Quid non passus est, ut insignem suum
in nos amoris affectû declararet? saluti no-
stræ, bona, quietem, voluptatem, gloriam,
vitam denique suam consecravit. Com-
parare eam nobis poterat minimis impen-
sus; unica sanguinis gutta; lacryma unica
suf-

November. sufficiens erat. Verùm sic amoris sui excessum non satis demonstrâisset. Hic ipse amor fecit, ut ad diem cruciatuum suorum avidè adspiraret. Hic, ut illius crudelitates præverteret dolore interiore, cui se immerfit; hic denique fecit, ut felicitatem suam in gravissimis tormentis inveniret; quòd prævidebat ea nobis profutura, suum nobis amorem demonstratura, nostrumque promeritura. Christo nihil difficile accidit, ubi de suo erga nos amore testificando fuit actum; quantus fervor! nobis omnia difficilia accidunt, cum quid pro Christo agendum, aut ferendum est. Quanta ignavia!

II. Ut fervori studeamus, propria nobis utilitas suadet. I. Homo, qui fervorem habet, omnia cum facilitate agit. Si Deum ferventer amamus, nihil difficile nobis videtur; at hæc res, inquis, est nimis operosa: sed ea Deo placet, quem amamus, sic facilis evadit. Qui amat, inquit S. Augustinus, non laborat; vel si laborat, laborem non sentit. Anima fervens in viâ salutis currit, non ambulat; imò volat, non currit. 2. Homo fervens non solum omnia cum facilitate, sed & cum delectatione facit. Unctio, quam Deus cum gratia sua in cor quodpiam ef-

fun-

fundit, jugum Domini non leve duntaxat, sed etiam, suave reddit. Hæc facit, ut delicias in ipsis inveniamus calamitatibus.

3. Si fervorem habemus, brevi tempore magnos progressus facimus. Operarij illi Evangelici, qui postremi venerant, eandem, quam primi, mercedem accepere; eorum fervore diurnitatem supplente laboris. Denique si fervorem habeamus, multum meremur, vel proficimus, faciendo parum; si tamen parum est agere, quod ferventer agimus. Beatus Sanislaus Kostka, cujus hodie festam diem agimus, admirandum fuit fervoris exemplum. Fervor amoris, quo in Deum ferebatur, tantus fuit, ut pectus ipsius, quod cordis ardores sustinere non poterat, refrigerari necessariò debuerit: idcirco etiam facile, & suaviter ambulavit in vijs sanctitatis, & juxta Spiritus sancti effatum consummatus in brevi explevit tempora multa; & licet diu non vixerit, nec, ut videtur, multum laborarit, ad eminentem sanctitatem pervenit.

III. At merces, quæ nos in Cælo manet, potentiùs adhuc animare nos debet ad fervorem: id enim, quod in præsentis est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus ope-

2. Cor. 4. 17.

November.

operatur in nobis, inquit Apostolus. Et nos locordes esse possimus? nihil est, quod nos magis ad fervorē animare, & ad præstanda omnia bona, quæ possumus, adigere debeat, quàm cogitare, nullum fluere momentum, quo æternitas comparari non queat; nullum opus bonum præstari, quod non peculiari quodam æternæ gloriæ gradu compensetur. Quid magis animare nos debet ad omnia bona opera faciendâ, ad omnia nostra pietatis exercitia ferventer obeunda, quàm cogitare, felicitatem nostram in cælo ex æquo responsuram fervori, quo munera nostra exigemus; si cogitemus gloriæ nostræ in cælo magnitudinem, nostrumque amorem, qui nos in æternitate Beatos reddit, accommodatum in gradu amoris Dei, quem in mortis articulo attingemus; fierine potest, ut non animemur ad insignem prorsus fervorem, & desiderium quovis momento in amore Dei crescendi per continuum exercitium actuum, qui eum in nobis augere possunt?

Erubescere, quod post tot annos, quibus Deo te servire profiteris, ob defectum fervoris tam exiguos in via perfectionis progressus feceris; cum videas, Beatum Stanislaum tam ferventem evasisse intra tam modicum tempus, ut ad tantam sanctitatem perveniret.

Sic

Sic currite, ut comprehendatis. 1. Cor. November.
9. 24.

Quidquid verò minùs est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis.

DIES XIV.

De Tentationibus.

I.

AD tentationem parare nos debemus, ut primùm cultui divino nos addicere stauimus. Ad id Spiritus sanctus nos hortatur: aliquoties nihil magis timendum, quàm non tentari: hoc enim non rarò signum est, nos à Deo deseri, vel à Diabolo contemni, vel ab eo considerari, ut sibi obnoxios, qui ipsius tyrannidi non ampliùs se subducturi sint. Non ampliùs ab eo impugnamur, quia ei non ampliùs resistimus. Homines sanctissimi fuère tentati; qui si tentati non fuissent, ad tam sublime sanctitatis fastigium euecti non fuissent. Christus ipse Sanctorum omnium sanctissimus tentatus fuit; cùm enim is caput nostrum esset, imbecillitarum nostrarum particeps esse, virèsque suas impertiri nobis voluit; cùm archetypon nostrum esset, exemplo suo

L

mo.

November, modum, contra tentationes pugnandi docere nos voluit; cum denique Redemptor noster esset, tentationis vilitati se submittere, & gratias nobis ad eis resistendum necessarias mereri voluit. Tentatio plerumque effectus est invidiae Dæmonis, & odij, quo in nos fertur. Non rarò etiam oritur è perversitate nostra. Quamdiu caro spiritui adversabitur, tamdiu pugnandum nobis est. Heu me! Domine, mecum ego circumfero hostem mihi infensissimum, si tu in me, & mecum contra me non pugnas, actum est de me.

II. Deus per tentationem non rarò virtutem nostram explorat. 1. Eam permittit ob rationes nobis utiles, ut nempe virtutem nostram experiatur, eamque *Tobia 12.13* in lucem protrahat: *Quia acceptus eras Deo, inquit Angelus Tobiaë, necesse est, ut tentatio probaret te.* 2. Eam permittit, ut ostendat nobis infirmitatem nostram, & quàm parùm nobismet ipsis fidere, propriaque virtute niti nos deceat. 3. Eam permittit, ut nos compellat, ad opem suam implorandam; cum experientia impotentia nostræ tam potentibus resistendi hostibus felicem quandam necessitatem nobis imponat, ad ipsum confugiendi, qui

qui solus omne robur nobis tribuit. 4. November.
 Eam permittit, ut nos mundos reddat;
 Spiritus enim sanctus asserit, quòd, *Proverb. 17.*
 quemadmodum ignis probat, & mundat
 aurum, sic tentatio magis, ac magis pro-
 bet, & emundet hominem justum. 5.
 Deus tentationem permittit, ut nobis
 ansam præbeat virtutes exercendi, & ac-
 quirendi: cum eæ obtineri non possint,
 nisi exerceantur, nec bene exerceri, nisi
 tententur. 6. Deus tentationem per-
 mittit, ut medium nobis suppeditet, co-
 ronam promerendi, quam non nisi pug-
 nando meremur: pugna verò non est,
 ubi hostis non est. Denique tentationem
 permittit, ut à certa quadam negligentia,
 & periculosa securitate, quam pax ni-
 mium diuturna in nobis fovet, nos re-
 trahat, & vigilantiam, fervoremque in
 nobis excitet. Non igitur peto, Domi-
 ne, ut penitus me liberares à tentatione,
 quæ mihi tam fructuosa esse potest; sed
 solummodò, ne me ei succumbere patia-
 ris.

III. Ad impugnandam feridè tentatio-
 nem oportet 1. Tentationi ansam non dare
 juxta consilium Apostoli. *Nolite locum Ephes. 4.*
dare Diabolo. 2. Si ab ea nos impugnari 27.
 sentimus, nobis persuadere, eam à dia-
 bolo

November,

*Resistite
autem dia-
bulo, & fu-
giet à vobis.
Jacob. 4, v.
7.*

bolo excitari. Et hoc ad incutiendum nobis illius horrorem sufficit. 3. Tentationi non auscultare, sed ab ea mentem avertere eadem promptitudine, qua ignem fugeremus, si ab eo derepentè appeti nobis contingeret. 4. Non nimium animo versare tentationis argumentum in materia castitati contraria sub obtentu inquirendi, an hujusmodi tentationi fuerimus immorati. 5. Sedulo nobis ipsis invigilare nos oportet, ut modò præsentia Dei recordemur, nobisque persuadeamus, Deum nos intueri, gratiâ suâ defendere, ad pugnam animare spe coronæ, quam nobis ostendit, modò cruciatuum Christi memores esse, ut ad sanctissima ipsius vulnera, maximè verò ad vulnus cordis confugiamus. 6. Frequenter ad orationem nos recipere, ad quam obligamur, ubi tentatio nos urget. Animum denique non despondere ob nostros lapsus; sed cum nostri confusione, & confidentia surgere.

Inquire in te, ut intelligas, an omnes hæc regulas observes, ubi de impugnanda tentatione agitur.

Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. 1. *Cor. 10, 13.*

Tum

Tum maximè oppugnaris , si te im-^{November}
pugnari nescis. Hieron.

DIES XV.

De Fuga Occasionum.

I.

DEUS à fidelitate sibi insita succurrere nobis in tentatione obligatur, nisi ipsimet ei nos implicuerimus. Id in pluribus sacrarum Litterarum locis nobis pollicetur: *Quoniam in me speravit, liberabo* ^{Psal. 90. 14.} *eum, protegam eum. Imò Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte* ^{Math. 4. 6.} *offendas ad lapidem pedem tuum. Si verò ipsimet tentationi inhiamus, occasionem quærendo, Deus promissis suis exsolvitur, imò hæc ipsa fidelitas ipsum cogit, ut nostro nos arbitrio relinquat: cùm difertè nobis prohibeat, ne Dominum tentemus. Et verò quid est tentare Dominum, nisi ope divinæ gratiæ immoderateniti, atque insuper habita Dei prohibitione, peccandi periculo sese committere? Annon id prohibet, cùm dicit: *Qui amat* ^{Eccles. 3. 27.} *periculum, in eo peribit?* Et sic eadem fidelitas, quæ Deum obligat ad succurrendum*

November dum nobis in tentationibus, & occasio-
nibus, quas non quæſivimus, eum quo-
que obligat ad nos deserendos in illis, in
quas ultrò nos coniecimus. Si verò me
deseris, Domine, quid possum, nisi
cadere, & me perdere?

II. DEUS ad honorem suum tuendum
quodammodò obligatur nobis in tentatio-
ne succurrere, si ea provenit à dæmone,
Dæmonis tentatio oritur ex illius invidia,
& concepto in nos odio, quod est effectus
illius odij, quo Deum averſatur. Nos
Dei sumus imagines; itaque diabolus in
imaginem Dei exonerat rabiei suæ effe-
ctus, qui ad Deum usque pertingere non
valent, atque ita Deus, à zelo gloriam
suam propugnandi obligatur tueri homi-
nes, qui ipsius loco odium diaboli susti-
nent, vel saltem alia de causa ab eo non
impugnantur, quàm, quòd ad Deum
pertineant. Si verò homo occasionem
quærit, tum ipsemet in tentationem se
conjicit; ac proinde non diabolus, sed
ipse tentationis est author, eaque de
causa Deus eum porrò protegere non te-
netur, cùm ipsius gloriæ hac in re non
præjudicetur; permittit ergo, ut solus
cum solo diabolo contentionem suam
transigat; tum enim partes contendentes
mini-

minimè æquales sunt. Imbecillus, & i- November,
gnavus homo, poteritne solus sustinere
hostem tam potentem, tam vigilem,
tamque formidandum, ut est diabolus?

III. DEUS etiam à zelo, quo gloriæ
suæ curam gerit, obligatur, deserere ho-
minem, qui occasione se exponit: si
enim sponte suâ in eam se conijcit; vel
proprijs viribus confidit, vel eisdem diffi-
dit? si proprijs viribus confidit, temera-
rius est: è re gloriæ divinæ autem est,
superbum deprimere, & facere opem di-
vinam ei negando, eumque sibi ipsi re-
linquendo, ut imbecillitatem suam sen-
tiant. Et verò quemadmodum Deus gra-
tiam suam semper impertit humilibus, sic
eam superbis plerumque negat. Quapro-
pter Spiritus sanctus afferit, quòd, quan-
tumcunque virtutis, & virium habea-
mus, ijs tamen exuamur, ut primùm
arrogantiùs de nobis sentire incipimus;
nam *contritionem præcedit superbia, & ante* Proverb. 16.
ruinam exaltatur spiritus. David ultrò fa- 18.
teretur, lapsum suum fuisse effectum, &
pœnam temeritatis suæ: *Dixi, inquit, in* Psalm. 29.
abundantia mea, non movebor, avertisti v. 7. & 8.
faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.
Petrus adeò turpiter victus non fuit, nisi
quòd invictum se crediderit; omniumque

November. fuit ignavissimus, quia se fortissimum esse ratus occasione inconsultò se commisit. Si homo occasione se exponens viribus suis diffidit, séque cadere facile posse prævidet, jam lapsus est in peccatum, priusquàm se in occasionem conjiciat, maximè si ea sit proxima; cùm peccatum sit, quærere occasionem proximam; & alterum in occasione ipsa committere desertus à gratia, quam Deus concedere detrectat homini, qui tam parvi eam pendit; dum se aded temerè eam amittendi periculo exponit.

Statue, nunquam, quocunque obtentu, occasione peccati te exponere.

Qui amat periculum, in illo peribit.
Ecll. 3. 27.

Sicut se Petrus præsumendo ignorabat, sic negando didicit, quales vires haberet. *Aug.*



DIES

DIES XVI.

De Tribus Defectibus, Qui In
 bonas nostras actiones ir-
 repunt.

I.

PRImus error, qui in optimas nostras actiones sese insinuat, est in ijs nos ipsos nonnihil quærere. Iniquum est actionibus suis alium finem præfigere, quàm Deo placendi, ipsúmque in illis quærendi: verùm, nisi assiduè nobis, cunctisque nostris motibus attendamus, nisi cordi nostro semper invigilemus, tam propinqui nobis sumus, ut neque ex oculis nos amittere, nec vitare nos possimus. Amor nostri ipsorum adedò ingeniosus est ad nos ludificandos, & nos tam facile decipi nos patimur, ut, cum is seipsum relinquare viderur, vijs occultis ad se regredi nôrit, ut tam propinquus nunquam sit, quàm, ubi maxime remotus esse viderur. Ut ab hoc defectu nobis caveamus, frequenter, ac sincerè, si quid agimus, ex nobis ipsis sciscitemur. Estne Deus, quem hac actione, hoc consilio

November. quæro? id credendi rationem habemus, si sublimia, & vilia, suavia, & acerba perinde accipiamus; si id etiam eligamus, quod magis nos deprimit, & affligit, ubi id Deo placere credimus.

II. Alter defectus, qui in optimas actiones nostras illabitur, est in actionibus genio suo obsequi; & à naturæ instinctu duci se sinere. Actiones optimæ proprii genij impulsu factæ, bonæ amplius non sunt; vel si proprium duntaxat arbitrium eis se immiscet, imperfectæ evadunt. Homo actiones suas sanæ rationi convenienter, Christianus verò, è gratiæ impulsu instituere debet. Itaque qui naturæ solius impulsu rem agit, nec ut homo, nec ut Christianus agit. Innatus agendi pruritus, & anxia sollicitudo optimas foedant actiones: sic enim vel intempestivè, vel præcipitanter fiunt, & sæpè destruitur ex una parte, quod ex altera exstruitur. Interpretamur charitatem, quod è naturæ propensione fit; Zelum dicimus, quod impetuositatis meretur nomen. Remedium est, naturæ impetum reprimere, eum is nimius esse advertitur; sollicitudinem moderari, quantumvis bonum sit, quod facere cupimus; neque agere, donec

nec animum nostrum sereniore tranquillitate frui sentiamus. Novemb̄r.

III. Tertius defectus, qui bonis nostris actionibus se immiscet, est perturbatio, ubi res è voto non succedunt. Hæc turbatio è superbia, & è sui ipsius amore nascitur: adspirabamus ad felicem rei successum, & per hunc ad inanem gloriam obtinendam; sed ubi spe nostra depellimur, amor nostri ipsorum affligitur, superbia nostra comprimitur; hæc esturbationis nostræ causa; cum è contrario, si non nisi gloriam, & voluntatem divinam quæsissemus, tranquillissimi essemus; Deus enim depressione nostri honoratur, voluntas Dei impletur; quandoquidem ea non volebat, ut res è voto succederet. Cur igitur turbamur? si Deus contentus est, cur nos contenti non simus? Præterea nostri depressio nos humiles reddit, sic ea nobis utilior est, quàm successus, qui forsàn superbos nos reddidisset. Denique hujus depressionis, & bonæ voluntatis meritum obtinemus, si eam lubentissimo animo acceptemus, quod unicum Deus à nobis exigebat. Forsàn consiliorum nostrorum subtilitate immoderatè nitēbamur; hæc est causa sinistri successus. Sarciamus arrogantiam nostram divinæ volun-

November. voluntati nostram submittendo: hac enim ratione, etsi cætera omnia perdamus; saltem pacem conservemus, quæ omnium rerum nostrarum jacturam sarcire potest.

Intra serid in te ipsum, ut cognoscas, an non aliqui horum defectuum, & forsan omnes actionibus tuis sese immisceant.

Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. *Fac. 1.*

Si quæris in omnibus JESUM, invenies utique JESUM: si quæris teipsum, invenies teipsum; sed ad tuam perniciem. *Imit. Christi l. 2. c. 7.*

DIES XVII.

De Felicitate Hominis Probi in ipsismet casibus adversis.

I.

Homo probus in rebus adversis vitam quietam, facilémque agit, in medio infelicitatum felix; cum fides eum roborat, spes soletur, charitas animet. Fides eum roborat, tria ei proponendo. 1. Deum hominem in Cruce morientem; è fide discit, se è numero prædestinatorum esse non posse, si Christo Cruci affixo similis non sit.

fit. Homo tantum animi non habebat, *Novembas.*
ut hujc similitudini acquirendæ se impenderet; videt enim, Deum ipsum, ut labori ejus parcat, laborare, ut in ipso imaginem Filij sui è Crucis patibulo suspensi exprimat per afflictiones, quibus eum obruit, quantum hoc solatium! 2. Fides eum roborat, dum ei proponit Deum justum, cum sciat justitiæ divinæ necessariò faciendum satis, nec esse errorem, quantumcunque levem, qui vel in hac, vel altera vita puniri non mereatur: felicem proin se agnoscit ob occasionem à Deo sibi suppeditatam, pænis nec gravibus, nec diuturnis, pænas acerbissimas, ac valdè diuturnas purgantium flammaram prævertendi. Denique fides hominem probum roborat, dum ei proponit Deum bonitate plenum, cujus directioni sine timore committere se possit, probè gnarus, se, si ab eo percutiatur, ex amore paterno puniri; & cum divinum cor manum castigantis dirigat, sibi non metuendum, ne ictus nimis austeri sint, vel sibi cruces imponant viribus suis majores.

II. Spes hominem probum in afflictionibus solatur, quia ipsi ob oculos ponit felicitatem maximam, certissimam, & proximam. Ea est maxima, quia dignum est

November, est sanguinis Dei pretium; quia donum est, quod Deus ipse est, qui ei se impertit in compensationem omnium, quas pertulit, ærumnarum. Felicitas hæc certissima est, idcirco, quòd meritis nitatur Christi, cui Deus negare nihil, neque concedere nimium quid potest; quòd nitatur fidelitate Dei, qui nos fallere non valet; & potentia Dei, quæ exequi potest, quidquid bonitas, ut speremus, præcipere, ejusque fidelitas promittere nobis potest. Denique felicitas hæc proxima est: si mille anni, inquit Scriptura, æternitati comparati non sunt, nisi dies una, quid esse potest vita etiam longissima, nisi unica hora? ecce non nisi unicam amplius horam vivere nobis concessum est, & mox Deum possidebimus, & eadem, qua Deus, felicitate felices, & quidem æternùm felices erimus. Non nisi unicâ horâ mihi patiendum, ut ad hanc felicitatem pertingam; quantumcunque igitur graves mihi ærumnæ meæ videantur, an eas magnum quid esse rear?

III. Charitas hominem probum in rebus adversis animat. Si amamus, libenter patimur pro eo, quem amamus. Si Deum ardentem amamus, de occasione nostrum eidem amorem testandi magno pere gaudemus: libenter pro eo pati cer-
til-

issimum est amoris argumentum; omnia alia vel debilia, vel dubia sunt. Si Christum amamus, ei similes esse optamus: hoc commodum res adversæ nobis accersunt, si eas in beneficijs numeremus. Qui Deum amat, nihil tantopere optat, ut ejus voluntatem exequi. Impletio voluntatis ipsius omnem felicitatem homini probat parit. Si Deum amo propterea, quod sciam, eum velle, ut patiar, id mihi oblationi duco, & cum Jobo dico: *hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcas, nec contradicam sermonibus Sancti.* Est enim voluntas Domini, ut patiar. Homo, qui Deum amat, contentus minimè esset, licet in Paradiso cælesti degeret, si contra Dei voluntatem ibi foret. Paradisus cælestis ei Purgatorij instar foret. Contra in pænis piacularibus contentus esset, si sciret, se Deo id volente ibi esse. Carcer iste piacularium animarum Paradisus ei cælestis crederetur.


Job. 6. v. 10

Erubescere, quod tam difficile tibi accidat patis hoc enim signum est, fidem spem, charitatem tibi deesse.

Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcas. Job. 6. v. 10.

O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat. Bonay.

DIES



DIES XVIII.

**Infelicitas Peccatoris in ipsa
prosperitate.**

I.

Prosperitas nimia peccatori fidem vel
ripit, ut aliquoties accidit, vel eam
 debilitat, ut plerumque contingit, vel eam
 ei prorsus integram relinquit, ut evenire,
 sed rarò, potest. Si peccator in prosperi-
 tate fidem penitus amittit, tum infinite
 infelix est; quia cum fide perdit omnia:
 nulla amplius ei spes vitam emendandi,
 nec salutem consequendi affulget; cum ea-
 rum fundamentum sit fides; qua deficiente
 construi nihil potest. Si fides debilitata
 duntaxat est, peccator infelicissimus esse
 non cessabit. Ipsius animus divisum se
 quodammodò inter falsa cupiditatum sua-
 rum, & vera fidei lumina deprehendit:
 Tantam enim fidem non habet, ut verita-
 tes genio suo oppositas firmiter credat,
 vel ijs moveri se patiarur; sed ipsius loco
 aliam, quæ ei perturbationes, & inquietu-
 dines afferat. Verùm si fides prorsus
 integra manet, tunc ipsum confundit, &
 cruciat, idcirco, quòd ei non proponat,
 nisi

nisi ea, quæ ipsius propensionibus adver- **November,**
santur, & veritates, quæ ipsius vivendi
rationem condemnant: si Evangelium a-
perit, non invenit ibi, nisi execrationes in
divites, & mundi felices, nisi necessita-
tem patiendi, crucemque suam portandi.
Si Christum fidei suæ authorem, & con-
summatores intuetur, judicem suum in
persona etiam Servatoris sui invenit: si e-
nim ipsius archetypon non est, iudex i-
psius erit. An verò IESUS cruci affixus
archetypum est divitis alicujus, volupta-
tibus dediti, & in mundo felicitis?

II. Prosperitas non fidem duntaxat, sed
& spem debilitat, vel eripit. Spes duos
effectus habet. Primus est, desiderium in
nobis excitare bonorum non visibilium,
bonorum æternorum, quia magna, soli-
daque nobis videntur. Secundus est, ad
ea speranda nos animare, quia divina ad-
juvante gratia facile obtineri posse viden-
tur. Duos hosce spei effectus destruit
prosperitas; vel certè iis sociari non po-
test: an enim homo, qui in prosperitate,
omnisque generis bonorum, & volupta-
tum abundantia vivit, cum amore hujus-
modi terræ bonorum fascinator, & turpis-
simis corporis voluptatibus inescatus sit,
moveri potest consideratione purorum, &

M

spi-

November. spiritualium bonorum, quæ fides ei Christiana proponit? *animalis homo*, inquit
 1. Cor. 2, 14. Doctor gentium, non percipit ea, quæ sunt spiritus. Lubens omnibus cæli gaudijs se abdicaret, dummodò ei persuasum esset, se terrenis semper gavisurum. At licet peccator in medio felicitatis suæ desiderare bona non visibilia posset, possétne ea sperare? fides ipsum docet, se, cum peccatis obnoxius sit, pertingere ad hæc bona non posse, nisi per pœnitentiam, nec pœnitentiam agere, quin animi sui motus, carnem, & sensum comprimat: potéstne verò homo prosperitati innatans capax esse tantæ sui ipsius victoriæ, à qua tantopere abhorret?

III. Prosperitas hominem vitiosum charitatis recuperandæ impotentem reddit, quia ejus conversionem facit impossibilem, dum ad mores suos corrigendos inhabilis evadit. Homines eum corrigere non audent, & Deus dedignatur; Magnatum aliquis in mundo felix servus, qui ab ipso pendent, & assentatoribus, qui omnia ab ipso sperant, undique cinctus non invenit, nisi homines, qui maximis ipsius sceleribus applaudant. *Laudatur peccator in desiderijs suis.* Quàm paucos, Principum aliquis invenit, Joannes Baptistas, qui

qui ei dicant: *non licet id, quod agis.* Deus November.
ipsum corrigere non dignatur: homo in
peccatis suis felix Deum contemnit, obli- *Eccli. 7. 14.*
viscitur, & deserit; & à Deo vicissim con-
temnitur. *Nemo potest corrigere,* inquit Scri-
ptura sacra, *quem Deus aspernatur.*
Deus ipsius obliviscitur, eumque desiderijs
cordis sui relinquit, ob hoc ipsum feve-
rior, quàm si infensissimis hostibus eum
traderet. Nec irasci amplius ei dignatur
iracundiâ paternâ, qua filios suos correctu-
rus castigat, cùm eum è filiorum numero
jam deleverit: non irascar amplius, ait per
Prophetam. Hic est, inquit S. Augusti-
nus, maximus iræ divinæ adversus pecca-
torem effectus, ei non amplius irasci; o-
mnium pænarum terribilissima est, non
amplius subire pænam. Ah! Domine,
castiga me; sed, ut Pater: *argue me; sed non
in furore tuo.*


*Noli optare statum prosperitatis, si in eo non
vivis; time, si in eo vivis, quia periculosus est.*

Prosperitas stultorum perdet eos.

Prov. 1. 32.

Vis nôsse, quanta sit pæna? nulla
pæna. *Aug. in Psal.*

November.



DIES XIX.

Deus in Omnibus Quærendus.

I.

DEUM quæramus, & præter eum, nihil; sic eum inueniemus. Si res creatas, si nosmetipsos, si commoda, & oblectationes nostras quærimus, forsan in ijs quærendis spe nostra fraudabimur: *omnes quidem currunt*, inquit Apostolus, *sed unus accipit bravium*: ad inueniendum id, quod mundi sectatores quærunt, quantis non opus est curis, quantis molestiis, quantis laboribus? & quem denique finem omnes hi labores sortiuntur? hunc; ut quærant semper, & inueniant nihil. Si Deum quærimus, tunc eum inueniemus: non raro se offert iis, à quibus non quæritur; illos vero præoccupat, qui se concupiscunt; prius, quam ipsum quærere incipiant. Is semper plus, quam viæ dimidium ad nos conficit, magnam partem nos labore subleuat, quem in ipso quærendo subire deberemus. Is, cum eum procul quærimus, in medio nostri est. Ah! Domine quærere te nequeo; nisi prior quærere me coeperis, nec ire ad te, nisi per te possunt.

Rom. 10.
v. 20.

Sap. 6. 14.

Quæ-

Quære igitur me ; & ego quæram te ; & *November.*
quærendo te inveniam te , & tecum omnia
bona inveniam.

II. Si me ipsum quæro , si res creatas ,
voluptates , honores mihi quæro ; si tam
felix essem , ut omnia hæc bona inveni-
rem. Eheu ! me non satiarent : omnia e-
nim hæc bona , aut falsa , aut vana , aut
levia sunt : morari quidem cor meum
possunt , implere non possunt ; cupidita-
tem meam irritant ; sed eam non sariant ;
desideria mea dividunt , sed non tranquil-
lant ; pro me facta sunt ; ac pro in iis uti pos-
sum ; sed ego pro illis factus non sum ; i-
deoque iis frui non possum ; media sunt ad
finem meum pertingendi ; idcirco aliquid
utilitatis asferre mihi possunt , sed ipsæmet
finis meus non sunt ; itaque felicem redde-
re me non valent. At , ubi Deum meum
inveni , quietum est cor meum. Is o-
mnium motuum meorum centrum est ; in
ipso quietem suam inveniunt. Is deside-
riorum meorum scopus est. Is solus ea-
sistere potest. Is est supremum Bonum
meum ; is solus satiare me valet. *Deus
meus , & omnia.* Si omnia alia bona pos-
sideo , si Deo careo , pauper sum , miser
sum ; si Deum meum possideo , dives sum ,
fortunatissimus sum.

M 3

III. Ve-

November.

III. Verùm, si omnia invenirem, quæ defidero, & sollicitè quæro, si ea vera, solida, grandia forent, felicem denique reddere me non possent, quia semper durare nequeunt; vel enim à seipsis peribunt, quia caduca sunt; vel millenis casibus surripi mihi possunt, vel certè mors ea brevi mihi surripiet. Bona, quæ cum tempore avolant, afferre non possunt felicitatem, in omne ævum permanfuram. Nihil mortale satiare potest animam immortalem. Sed, ad te quod attinet, mi Deus, ubi semel te inveni, perdere te non possum, nisi velim. Si in me conjurent homines, & dæmones, auferre mihi bona, sanitatem, gloriam, & vitam mihi possunt; sed te Deum meum eripere non possunt. An non is, qui Deum possidet, dives est satis? an non contentus esse debet? si tu contentus non es, inde provenit, quòd illum non possideas.

Conare concipere cogitationes hominis cujusdam Sancti, qui interrogatus, cur domum suam conflagram vultu adeò sereno intueretur, casta est, inquit, quòd ignis auferre mihi domum, Deum verò meum non possit.

Si quæritis, quærite, Convertimini, venite. *Isa 21. 12.*

Ma-

Malè mihi est præter te, non solùm ex-November.
tra me; sed & in me ipso, & omnis copia,
quæ non est Deus meus, egestas est.

Aug. 13. Conf.

DIES XX.

De Cura, Quam Parentes Ge-
rere debent liberos suos benè
educandi.

I.

PATRES, matrèsque, omni, qua pos-
sunt, cura sese impendere educatio-
ni liberorum suorum obligantur. *Si quis* 1. Timoth. 5.
*suorum, inquit Apostolus, & maximè do-
cesticorum curam non habet, fidem negavit,
& est infideli deterior. Quid efficacius, si
exaggeratio non est? an verò exaggera-
tio esse potest, si Spiritus sanctus id di-
cat? an non liberi primum inter domesti-
cos locum sibi vendicant. Hæc obliga-
tio parentibus ab ipsa natura insita est: ac
priori ipsis amœnissima accidere deberet;
& si ipsis amœna non est, erit ipsis sum-
mè terribilis. Qua namque ratione li-
beri parentibus suis magnopere obstricti
forent, quòd vitam ipsis dederint, quæ*

M 4 ipsos

November, ipsos vitiosos, & infelices reddit: nisi etiam ad emendandum infelicem illorum ortum, operam, studiumque suum conferrent, & bona ad virtutem educatione eorum sanctitati, felicitati que confulerent? hæc est causa, propter quam Pater aliquis verè pater est: hæc est, ob quam liberi parentibus magis obligantur ob bonam educationem, quàm vitam ab ipsis acceptam; cum præstet, hominem esse probum, quàm hominem duntaxat esse. Annon homo, qui defectu educationis à Deo reprobarur, felicius foret, si homo nunquam fuisset? Parentes criminis reos se arbitrarentur, si ob suam negligentiam liberi Baptismi aquis, per quas Christianorum numero aggregantur, lustrati non fuissent; suntne minùs rei ob neglectam educationem, quæ illos Christianè vivere docet? quid ijs prodest, quòd Christiani sint, si Christianam vitam non agant, nisi, quòd ob hoc excusatione minùs digni sint?

II. Hæc obligatio suavissima accidere parentibus deberet, cum naturæ propensionibus magis congruat. Ut liberos nostros amemus, sufficit esse patrem, vel matrem: an verò amare eos possumus, & simul eorum educationem negligere? Be-

stix

stia ferocissimæ hanc curam non negli-
gunt; sibimet enim alimenta subtrahunt,
vitam suam periculo exponunt, ad vitam
catulis suis servandam. An non istarum
solicita cura hominibus hac in re negli-
gentiam, & duritiam suam graviter expo-
brat? habentne homines idcirco plus ra-
tionis, quàm bestia; ut omnes sensus na-
turae, & rationis convellant? hæc obli-
gatio tantò etiam suavior accidere ipsis
debet, quantò faciliùs eidem satisfieri
potest: teneritudo ætatis, ingenij docili-
tas, innata liberis facilitas, ad omnia,
quæ docere eos volumus, imbibenda red-
dit habiles: sunt ij ceræ molles, quibus
omnes, quæ volumus, imprimere figu-
ras possumus; pronius nihil est, quam
teneris adhuc eorum animis sensum pie-
tatis, timorem Dei, horrorem peccati,
amorem virtutis inspirare; hæc fugere
cum lacte deberent, si eorum parentes
verè Christiani forent. Hunc in mo-
dum ingenitæ labis vestigia sensum, & sine
sensu delerentur, & virtus quodammodò
in naturam migraret. Idcirco mater S.
Ludovici tantum ei peccati lethalis hor-
rorem impressit, ut eorum nullum un-
quam commiserit: hæc erat Mater Chri-
stiana

November, Christiana. Verùm, prò dolor ! quàm paucae hodie inveniuntur ?

III. Hoc munus parentibus valdè terribile est , si ei non satisfaciunt : cùm rei sint omniũ peccatorũ, quæ eorum liberi defectu educationis perpetrant. Salus parentum affixa est saluti liberorum ; si liberi pereunt ob negligentiam , quam eorum parentes in jis benè educandis admittunt , parentes pariter cum ipsis pereunt. Homo aliquis , qui in sua vivendi ratione valdè probus , imò & sanctus esset , si liberis careret , pœnis æternis addiceretur , quantumcunque pius videatur , idcirco , quòd perversos habeat liberos. Heli vir erat cæterà probus ; sed cùm è negligentia , vel amore immoderato , per bonam educationem non prævenerit , nec severa correctione filiorum peccata impedièrit , horrendis Dei vindictis objectus fuit. Qualem rationem Deus non reposcet à patribus , matribusque , qui se Christianos esse jactitant , & nihilominus liberos suos modo prorsus ethnico educant ? qui eis vanitatem , ambitionem , mundi amorem & voluptatem cum lacte instillant , qui suis axiomatis , sermonibus , & exemplis aliud agere non videntur , quàm ut funestas peccati originarij reliquias in
ijs

ijs foveant, quàm, ut animi commotiones, qui jam priùs nimium sunt vehementes, in illis animent; atque hasce puras & innocentes animas inquinent. November.

Si matrimonio junctus es, præcipuam gerere curam satage educationis liberorum tuorum; si non es, diligentiam tuam supple, quod educationi tuæ defuisse potest.

Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. *D. Paulus 1. Tim. 5. v. 8.*

Quantò amplius diligunt filios, tantò amplius ad bonam vitam compellunt. *Aug. Epist. 167.*

DIES XXI.

De Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis.

I.

BEatissima Virgo in hoc Mysterio Deo se consecrat, ut primùm potest, nempe tertio ætatis anno. Eam nec ætatis teneritas, nec corpusculi debilitas, nec in parentes amor absterrent; nihil eam retardat, ubi de se Numini consecrandâ
agi-

November: agitur, quidquid hoc sacrificium differre potest, ejus felicitatem differt, & animum affligit. Habuistine hunc fervorem, hanc promptitudinem, cum Deo te dedicare debuisti? incipere debuisses Deum amare, simul ac eum cognoscere cœpisti. Quamdiu in mundo vivis? à quo tempore cognovisti? cœpistine Deum amare? Primus cordis tui motus, omnesque reliqui ad ipsum tendere deberent: tenderne ad ipsum saltem ultimus? potesne cum D. Augustino dicere: Ah! Domine, serò te amavi? Fortasse necdum cœpisti. *Væ! tempori illi, in quo te non amavi.* Ob hoc sanè inconsolabilem esse me oportet. Quanta igitur commiseratione dignus sum, si hac in re solatium facile admitto? hoc signum est, me necdum incepisse, te, mi Deus, amare; quanto plus perdo temporis, tantò minus mihi superest. An non tempus est incipiendi?

H. Beatissima Virgo non modò maturre se Deo consecrat; sed omnia ei donat, exceptionis ignara; ubi agitur de consecranda se Deo, omnia rumpit vincula, quæ eam parentibus suis alligant, quantumcunque tenera, & quantumcunque valida ea sint. Deus ipsi omnium rerum est loco: idcirco omnibus se bonis abdicat,

cat, Deus in posterum tota ejus est hære- November.
ditas: & sic omnia deserendo, omnia invenit, quia Deum possidet. Abdicat se libertate sua per obedientiæ votum, ne aliam præter divinam haberet voluntatem, quæ unica sibi foret regula. Denique abdicat se omnibus sensuum illecebris per votum castitatis, ne ullam aliam oblectationem, præter illam Deo placendi, & amore ipsius, omni se voluptate privandi. An hunc in modum Deo te dedicas? An Mariæ liberalitatem imitaris? an Deo te penitus donas? an nihil excipis? an non occulta quæpiam in corde tuo latebra est, ubi quædam habes recondita? Quoties Deus te urfit, ut hanc rem creatam sibi immolares? quoties eam ei negasti? Exemplum Mariæ ruborem tibi incutere, & simul animare te deberet. Ejus protectio, si ad eam confugis, multum juvare te poterit.

III. Virgo Sanctissima non solum omnia citò dat, sed insuper in perpetuum. Hæc constans fuit, non subjecta illis vicissitudinibus tantopere nobis usitatis. Ut primùm ea perfectionis cursum auspiciata est, hoc est, ut primùm vivere cœpit, magnis in eo passibus progressa est. Tantùm aberat, ut respiceret retrò; sicut

nos

November. nos homines ignavi, & inconstantes, ut nova identidem incrementa caperet. O quàm longè absumus ab imitanda Mariæ constantia! cùm tamen ab hac constantia totus vitæ nostræ profectus pendeat. Vita nostra non est, nisi continuata series promissionum ultrò à nobis factarum, infidelitatum in ijs servandis, & ignaviarum in propositis exequendis: ut proin Deo non promittere videamus, nisi ut à promissis discedamus, atque eadem dies, & fortassis etiam hora in eosdem defectus, quos detestamur, nos labi videat. Anne mirandum est, si, cùm adeò inconstantes simus, in stadio salutis non tantùm non progrediamur, sed & retrò cedamus?

Accede ad Beatissimam Virginem, eandem rogaturus, ut gratiam tibi impetret suam promptitudinem, liberalitatem, & constantiam imitandi in sacrificio, quod ipsa die Præsentationis suæ fecit.

Multòque meliùs est, non vovere, quàm post promissa non reddere. *Eccl. 5. v. 4.*

Quisquis cogitat, quid voveat Deo, seipsum voveat, & reddat; hoc exigetur, hoc debetur. *Aug.*

DIES

DIES XXII.

Praxis ad S. Communionem
se preparandi.

I.

SI nonnisi semel, cum vivimus, ad sacram Synaxin essemus accessuri, omnia vitæ momenta impendere deberemus, queis nos ad eam sumendam præpararemus. Et sanè, quantumcunque nos animum eidem intenderemus, quoscunque conatus adhiberemus, nimum haud præstaremus, eademque cum veritate, qua humilis ille Centurio dicere possemus; *Domine non sum dignus.* Hæc sola cogitatio: *ad cælestem semel mensam accedam,* continere nos deberet in veneratione, in timore continuo, in assidua ad Deum, & nos ipsos attentione, summâque super omnes cordis nostri motus vigilantia, ne quòd nobis elabatur contrarium puritati ad excipiendum Deum, qui puritas ipsa est, necessaria, sed, quemadmodum Dominus noster adeò benignus est, ut nobis gratiam concedat ad epulum Eucharisticum sæpiùs accedendi, sic nos ad quam-

November, quamlibet sacram Communionem nobis præparandis impendere deberemus totum temporis intervallum, quod inter sacras nostras Communiones intercedit, exemplo tot Sanctissimorum hominum: at cum per imbecillitatem, vel negotia nostra id nobis concessum non sit, & Deus tam benignus id à nobis non exigat, non decet saltem, ut plures faciunt, præparationem nostram modico illo tempore, quod Eucharistiæ sumptionem proximè antecedit, terminare; sed unam saltem diem ei consecrare, & præparationem à die præcedente auspiciari.

II. Itaque pridie de sacra tua Communionem cogitare incipies. Hunc in finem

1. Offeres Deo manè omnes tuas actiones in unione cum actionibus JESU Christi, ut obtineas gratias, ad sacrum Epulum dignè sumendum necessarias.
2. Conser- vabis interdum animum summopere collectum, & ad motus cordis tui attentum, ut nihil tibi elabatur, quod ejus puritatem contamineat.
3. Precum tuarum loco, quas jaculatorias appellant, sententias quasdam eliges, quæ vel desiderium, quo flagras sacram Eucharistiam sumendi, vel indignitatis tuæ Confessionem ostendunt.
4. Ad hunc finem exercebis

cebis actus quosdam mortificationis, vel *November.*

bonum aliquod opus, quale foret visitare pauperes: nam Christum in suis membris visitare medium aptum est, ut à Christo visitari mereamur. 5. Sub vesperum eundem visitabis in sanctissimo Sacramento petiturus ab eo, ut cor tuum præpareret ad se suscipiendum. 6. Prius, quam cubitum concedas, considerabis felicitatem, qua sequenti die gaudebis, sacram Synaxin sumendi, rogabisque Angelum tuum Custodem, ut tibi per noctem invigilet, ne quid tibi accidat, quod adverteretur puritari, quam sumptio Dei, qui ipsa sanctitas est, requirit.

III. 7. Manè, ut primum expergisce-
ris, tibi imaginare, Angelum tuum Tu-
telarem tibi dicere? *Ecce Sponsus venit, Matth. 25. 6.*
surge, & exi obviam ei, réque ad eum ex-
cipiendum para. 8. Observabis, quan-
tùm poteris, accuratè silentium, omni-
umque negotiorum immemor (saltem,
ubi differre ea licet) ad sacram usque
Communionem animi collectioni stude-
bis. 9. Vsque ad Eucharistiæ sumptio-
nem huiusmodi cogitationes animo vol-
ves: Quis est, qui ad me venit? est
Deus. Ad quem venit? ad hominem,
ad terræ vermiculum, & peccatorem.

N CUG

November. Cur venit? ut se mihi donet, & uniat;
 10. Sanctissimo Missæ Sacrificio assistes,
 cum singulari reverentia, attentione, &
 pietate. Appropinquante sacræ Com-
 munionis tempore elicies actus vivæ fidei
 de hoc Mysterio, adorationis, timoris,
 reverentiæ, & humilitatis, plenos ma-
 gnæ confidentiæ in Benignitate illius,
 qui ad te venit, ardentis desiderij ipsum
 suscipiendi, teque cum ipso uniendi, ac
 denique teneri, sincerique amoris.

*Statue hac praxi uti, si melior tibi non sup-
 petit.*

Qui timent Dominum, præparabunt
 corda sua, & in conspectu illius sancti-
 ficabunt animas suas. *Eccli. 2. v. 20.*

Cæli Cælorum te non capiunt; & tu
 dicis: Venite ad me omnes. *Imit. Chris-
 sti. lib. 4. c. 10.*



DIES

DIES XXIII.

De Gratiarum Actione post
S. Communionem.

I.

Non decet nos unquam adeò languidos
 esse, quin post sacram Communionem
 temporis aliquid tribuamus gratia-
 rum actioni. Beneficium, quod accipi-
 mus, nihilò minus, quàm Deus ipse gra-
 tiarum utique actionem meretur. Sine-
 réne aulicorum aliquis, cui Princeps suus
 in benevolentiae signum peculiariter aures
 præberet, tam commodam occasionem si-
 bi elabi, gratiam aliquam ab eo flagitandi:
 si cum eo colloquia miscere negligeret, si
 dorsum ei obverteret, cum alio confabula-
 turus; an non gratiæ obtinendæ loco e-
 jus offensam incurreret? an non animad-
 versione dignus esset? an nos minori pæ-
 na dignos reddimus, si post S. Commu-
 nionem mentem ad alia distrahimus? si
 Christum solum, ut ita dicam, relinqui-
 mus, rebus frivolis nos occupaturi? S.
 Theresia dicebat, tempus, quod sacram
 Communionem sequitur, totius vitæ pre-
 tiosissimum esse, si quis eo bene uti nove-

N 2

rit.

November. rit. Hæc est una ex auspiciatis occasio-
 bus, è quibus fructum capere nos oportet; hæc sunt felicia illa momenta, quorum
 tantam habere curam nos decet, ut necu-
 nicum nobis elabatur. Christus tunc ve-
 nit gratijs onustus; his eum deonerare, est
 eum sublevare; has acceptare, est ei ob-
 sequium præstare. Pluribus opus non
 est, quàm ei cor aperire, ut illud impleat.
 Væ nobis, si id per animi distractiones ei
 occludimus: egeni sanè esse meremur, si è
 tam bella occasione discedendi, nobis non
 consulamus.

II. Simul, ac Christi Corpus in S.
 Communionem sumpsisti, prosterne te ad
 ejus pedes, rursúmque excita fidem tuam
 de Christi Iesu præsentia, eúmque cum
 profunda reverentia, admirationi juncta,
 adora, dum vides, Deum ipsum gloriæ,
 & Majestatis eò usque sese demittere, ut
 in corde hominis diversari dignetur, &
 quidem hominis peccatoris: atque in hol-
 ce animi sensus erumpens cum Salomone
 exclamabis: *Domine, si cæli calorum te cape-*
re non possunt, quantò magis domus hæc?
 Dein ab affectibus admirationis, & humi-
 litatis perges ad grati animi affectus; cum-
 que videas, te illum Servatori tuo satis re-
 stari non posse, omnes res creatas invita-
 bis

3. Reg. 8. 27.

bis ad ipsum tecum laudandum; offeres ei ^{November!} amorem, quo omnes Seraphini, & Beati in eum feruntur, desiderans eundem amare, sicut illi eum amant. Offeres ei fervorem, quo tot sanctæ animæ ad sacram Synaxin accedunt, ut suppleant fervorem, quo tu cares, sed habere desideras.

III. Expones Domino nostro imbecillitates, miserias, & necessitates tuas: Quid? dices, solus vestium tuarum attectus tot ægros sanavit; & contactus Corporis tui, quod ego toties sumpsi, nec dum ab infirmitatibus meis sanum me reddidit: anne vel minùs bonus, vel minùs potens es, quàm tunc eras? Eheu! causa est, quòd minùs habeam fidei: sed penes te est, eam mihi impertire. Aliquoties concipies affectus veræ confidentiæ, & cum Martha ei dices: *Domine, quem amas,* ^{Io. II, v. 3:} *infirmatur.* Num de amore tuo dubitare possum, dum video, quid in hoc Sacramento meâ causâ facias? tu me amas, tu infirmitates meas intueris, tu mederi mihi potes; & id non facies? aliquoties ad ipsius pedes cum Magdalena conticesces, percepturus, vel plenas amoris querelas, quas tibi proponet, vel dulces admonitiones, quas tibi impertiet. Aliquoties cor tuum cum ipsius corde unies,

ut eum adores, eum ames, ejusque Patrem, quantum is meretur, honores per hoc cor divinum, quod per S. Communionem certò modo tuum est. Denique nunquam negliges ei immolare aliquam creaturam, quæ cor tuum inter te, & ipsum dividit, vel aliquam immoderatam animi affectionem, vel peccatum aliquod, cui magis addictus es.

Fac tibi legem, nunquam negligendi saltem minus horæ quadrantem impendere gratiarum actioni in exercitio omnium istorum actuum.

Particula boni doni non te prætereat. *Eccli. 14. v. 14.*

Quid retribuam tibi pro te ipso? *Berni*

DIES XXIV.

**Sine Conformatione Cum
Christo salus æterna non
obtinetur.**

I.

Salutem æternam non consequemur, si prædestinati non simus, prædestinati verò non erimus, nisi Christo similes simus. Hic est fidei articulus à D. Paulo definitus. *Quos præscivit, inquit, & præ-*

Rom. 8.

v. 29. 30.

prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui. November 9
 Itaque salutem æternam obtinere æquè
 parùm possumus, nisi Christo similes si-
 mus, quàm illam consequi valemus, si
 fides in Christum nos deficiat; utrumque
 ex æquo necessarium est. Ejus rationem
 affert gentium Doctor, cùm IESUM Chri-
 stum appellat Primo-genicum prædestina-
 torum. Non igitur prædestinati eri-
 mus, si ipsius membra non sumus, si hanc
 proprietatem similitudinis, & conforma-
 tionis cum i, so non habemus. Ipse est,
 juxta mentem ejusdem Apostoli, caput
 omnium prædestinatorum; non igitur è
 prædestinatorum erimus numero, si ejus
 membra non sumus, si cum ipso uniti non
 sumus, si non eodem, quo ipse, spiritu
 animamur, si non eadem vitâ, quâ ipse,
 vivimus: Vivisne Spiritu Christi, tu, qui
 Spiritu mundi plenus es? si Spiritu Chri-
 sti non vivis, an non unus es è Reprobo-
 borum grege?

*ut sit ipse
 primo geni-
 tus in multis
 fratribus.
 Ibid.*

*Ipsam dedit
 caput super
 omnem Ec-
 cl. siam.
 Ephes 2.23.*

II. Prædestinatio peculiaris effectus est,
 divinæ bonitatis; singularis amoris, quo
 certos homines dignatur: quisque eum
 urget, ut hos ab alijs distinguat. Deus
 bonitatem hanc, & amorem peculiarem
 non exercet, nisi erga eos, qui Filio ipsius
 similes sunt. Is in Sanctissima Trinitate

November. Filium suum amat amore necessario, & infinito, cum sit ipsius imago, ejusdem cum ipso substantiæ, ipsique perfectè similis; neque creaturas extra ipsum amat, quàm ob similitudinem, quam cum illo habent. Si magnam cum eo similitudinem habent, tum magnopere illas amat; si modicam; modicè illas amat; si nullam penitus habent; imò è contrariò ipsi sunt oppositæ, illas contemnit, odit, & reprobat; eoque tandem tendunt omnia, quæ Pater æternus agit, sive ordinem naturæ, sive gratiæ, & gloriæ spectemus, ut hanc in nobis similitudinem exprimat: si enim mundum creat, si Filium suum in terram mittit, si spiritum sanctum nobis donat, si gratijs suis nos prævenit, si beneficijs suis nos cumulat, si nobis promissa facit, si nobis minatur, si nos remuneratur, si nos punit, semper id ad Christum Filium suum refert; ut nempe imaginem ipsius in nobis effingat. Felices nos, si obstaculum ei non ponamus; si verò id ponimus, an non salutem nostram ponimus?

III. Pater æternus in nova lege ter so-
lammodò locutus est; ad ripam Jordanis,
in monte Thabor, & Ierosolymis; idque
semper eum in finem, ut Filij sui amo-
rem, & imitationem nobis commenda-
ret;

Matth. 17.

30

ret: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hic igitur vobis audiendus, & imitandus est. Filius à Patre suo nihil tantopere petit, quàm ut, quemadmodum ipse Patri suo similis est; sic eius electi similes sint ipsi. Hæc est tota gloria, quam desiderat; & Pater ipse eam ei permittit; *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Nos adeò sumus anxij, & inquieti super Prædestinatione nostra: *sumne Prædestinatus? sumne Reprobatus?* quanta causa humilitatis, & timoris! quanta felicitas inter tam multas trepidandi causas, argumentum solidum invenire, sibi pollicendi, se certa quædam Prædestinationis habere indicia? horum complura afferuntur, quæ quidem omnia nec necessaria, nec certissima sunt. At similitudo cum Christo signum est ejusdem, & necessarium, & certissimum. Prædestinatorum è numero non ero, nisi Christo similis sum. Hoc necessarium est, & fidei articulus; si Christo similis sum, certò prædestinatus sum, hoc certissimum, & æquè fidei articulus est. Nimiùm felix sum, mi Deus, si confidentia mea fundamentò tam solidò nitatur: tum enim nihil me concutere poterit.

November.

Ego in eis, & tu in me.
Jo. 17.

Io. 12. 28.

Novembes.

Noli anxius esse de iis, quæ ad Prædestinationem spectant; sed nitere interea eam tibi certam reddere laborando, ut Christo similis evadas.

Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Rom. 8. 29.

Si multum de nobis sentimus, dignemur eum imitari, qui Filius Altissimi vocatur. Aug.

DIES XXV.

De Prærogativis Humilitatis.

I.

Humilitas gratiæ plenitudinem nobis accersit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Optima præparatio ad dona Dei accipienda est, esse humilem. Ad quem autem respiciam, inquit Spiritus sanctus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu? Quinam sunt ii, quos Deus cum gaudio respicit in cælo, & & in terra? sunt animæ humiles: qui in altis habitat, humilia respicit in cælo, & in terra. Sic Beatissima Virgo affirmat, se per humilitatem oculos Dei ad se rapuisse, ejusque

1. Petri. 5.

v. 5.

Luc. 3. 5.

Ysa. 60. 2.

2. sal. 1. 12.

v. 3. & 6.

que cor lucrata fuisse. Hæc gratiâ November.
 plena non fuit, nisi, quod seipsa fuerit va-
 cua. Mater Dei, & supra omnes res
 creatas exaltata fuit, quia humillima fuit.
 Si qua creatura in mundo Beatissima Vir-
 gine fuisset humilior, tum illi fuisset præ-
 habita. Heu me! si tam pauper, & gra-
 tijs nudus sum, cui id, nisi mihi met ipsi
 tribuam? superbia mea pauperem me red-
 dit. Simus nobis ipsis vacui; & Deus
 nos implebit: simus pauperes Spiritu
 tum divites erimus gratijs.

II. Humilitas felicitatem, & pacem
 nobis accersit. *Quis restitit ei, (Deo) ut*
superbus facit, & pacem habuit? at cui un-
 quam pax deficit, si verè humilis fuit? pax
 hæreditas est animarum humilium non
 minus, quàm illarum, quæ bonæ sunt vo-
 luntatis: cum quis enim humilitatem ha-
 bet, bona quoque voluntate non caret;
 & voluntas bona esse non potest, si humi-
 lis non est. Quid nos tristes efficit, &
 inquietos? plerumque superbia: vitupe-
 ramur, contemnimur, uni æquamur, alte-
 ri postponimur, non eam nostri æstima-
 tionem, vel locum obtinemus apud alios,
 quem mereri nobis videmur; id superbiam
 nostram offendit, id pacem nostram tur-
 bat, id in maiorem nos conijcit: sed hoc

Novēber: mo, qui verè humilis est, ab omnibus molestijs tutus est; si contemnatur, meritò id fieri credit; nam seipsum contemnit. Si alijs posthabetur, eos sibi ipse præfert; si nemo ipse recorderetur, ipse primus suò obliviscitur, sic semper habet, quod desiderat, semper pacem suam invenit, qui semper contentus vivit.

Matth. 23
12. III. Humilitas per fugam honorum majorem nobis honorem affert, quàm desiderare possimus: *qui se humiliat, exaltabitur*, inquit Servator. Si primum locum in Convivio mereri cupis, postremum occupare incipe: humilitas est via tam brevis, & secunda ad gloriam pertingendi; ut ipsimet superbi videantur eam eligere, ut ad eam evehantur. Hi si humilitatem non habent, eam simulant; si veritate hujus virtutis carent, ejus saltem speciem habere conantur, rati, non nisi per hanc obtineri hominum æstimationem. Si superbiâ laborant, eam tegunt, probe gnati, se nullam aliam ob causam, quàm ob hanc magis fieri abjectos. Deus humilibus utitur ad maxima sua consilia, gloriæ suæ curam lubens eis committit; quòd ei certò conset, eos illam sibi non arrogaturos, nec cum Deo partituros. Atque ita, dum gloriam Dei promovent, quàm

quam unice quærunt, gloriam propriam **Novembris.**
inveniunt, quam non quærunt, Deo ean-
dem ipsis tribuente, ad remunerandam
eorum humilitatem.

*Si paupertatem tuam cognoscis, tum ista co-
gnitio in te procreabit humilitatem; sed humi-
litas paupertati tuæ medebitur per gratias,
quas tibi conciliabit.*

Omnes autem humilitatem insinuate;
quia Deus superbis resistit; humilibus au-
tem dat gratiam. *1. Petr. 5. v. 5.*

Videte magnum miraculum: altus est
Deus; erigis te, & fugit à te, humilias
te, & descendit ad te. *Aug. in Psal.*

DIES XXVI.

Praxis Charitatis erga Pro-
ximum.]

I.

Charitas in proximum ut sincera sit,
efficax esse debet: ut verò sit efficax,
rescindere debet vitia sibi contraria, quo-
rum Apostolus meminit. hæc rescindit
Iram, amarus animi sensus, actiones
noxias, verba inurbana, *non irritatur; 1. Cor. 13. 5.*
Invidias, quæ faciunt, ut promotionem
alte-

November. alterius, velut nostri depressionem con-
 sideremus, *non æmulatur*; Superbiam,
 quæ facit, ut alios arroganti, & fasti-
 dioso vultu despiciamus, *non inflatur*;
 Ambitionem, quæ nos impellit, ut alios
 circumveniamus, ut per eorum lapsum
 nos extollamus, *non est ambitiosa*; Suspi-
 ciones iniquas, & judicia temeraria de
 vita proximi, *non cogitat malum*; Occul-
 tum, & malignum gaudium super alio-
 rum pœna, vel depressione, *non gaudet
 super iniquitate*; immoderatum proprii
 commodi Amorem, qui nos inducit, ut
 nobis unice intenti, veluti idolo, cui
 omnes obligationes, quas nobis, aut
 justitia, aut grata beneficiorum memoria,
 aut ipsa etiam natura ex officio imponit,
 consecramus. Non quærit, quæ sua
 sunt. An non horum defectuum alicui te
 obnoxium esse animadvertis? An non
 forsitan omnibus? si ita est, an non fateri
 cogeris, te charitate destitutum? Et
 quis es, si charitatem non habes?

II. Veram charitatem contentam esse
 non decet, quod proximo suo malum
 non inferat; sed insuper impedire tene-
 rit, ne id ei aliunde obveniat, & mala
 ei imminencia prævertere, si potest,
 cumque ex illis eripere, si eisdem jam
 pre-

premitur; eum sublevare, si penitus li- **Novembet.**
berare non potest; eum solari, si suble-
vare concessum non est: si neque solatio
locus est, ejus saltem miserijs moveri,
eas minuere, earundem partem in te sus-
cipiendo; ob eas seipsum affligere, &
flere cum flentibus exemplo Divi Pauli
asseverantis, se in omnibus miseris pati. *Quis infir-*
Præterea Deum precari debet, ut ipse *matur, &*
proximum sublevert, vel soletur, si ipse *ego nõ infir-*
met id præstare non possit. *mor 12. Cor.*
Charitas *11. 29.*
ejus defectus patienter tolerat, eos cor-
rigere satagit, ita, ut delinquentem non
exacerbet. Si emendare eum non po-
test, dissimulat; ad Deum se confert
eum permutura, ut ipse manum appli-
cet; eum precatur, ut ipsius justitiam,
si ea irritata est, mitiget; ut delinquen-
tem sublevert, se offert, ad suscipiendam
in se partem pœnæ, quam ille meritus
est, seque immolandam divinæ justitiæ
victimam, ut peccatorem hunc divinæ
mitericordiæ efficiat objectum. En!
quousque se extendat perfecta charitas.
Fuitne charitas tua hætenus sic compara-
ta? Heu! quàm longè ab ea abes?

III. Charitas non modò se impendit a-
vertendo proximi malo, sed & omni bo-
no, quantum reapse potest, eidem præ-
stando

November. stando : charitas enim proximo benefacere laborat ; cùm teste Apostolo, *benigna sit.* Hæc nos jubet æstimare, honorare, efficaciterque amare proximum nostrum, nostram insuper de eo existimationem, officiosè, & honorificè de eo loquendo, testari; unâque reverentiam nostram comiter, humanitèrque cum eo agendo; atque amorem nostrum, omnis generis bona eidem precando, de ijs, quæ possidet lætando, de ijs, quibus indiget ei prospiciendo, omnia ei officia, & obsequia exhibendo, præsertim verò nihil eorum, quæ ad ejus salutem promovendam facere possumus, omittendo; ita quidem, ut parati simus, non modò bona, quietem, & gloriam, sed & vitam nostram immolare, exemplo Christi Domini, quem S. Joannes exemplar nobis proponit : *In hoc cognovimus Charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Charitas subinde usque ad sui oblivionem progreditur exemplo SS. Moysis, & Pauli. Ah! quàm longè abes ab hac perfectione, qui ne minimo quidem commodo, nec minima voluptate te abdicare velles.

Examina te serio super hisce charitatis effectibus, ut perspicias, an eorum habeas initium. *ab! quantopere hoc examen te confundet? & quantum tibi incutere terrorem debet?* November.

In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. *1. Joan. 3. v. 16.*

Semper debeo charitatem, quæ sola reddita detinet debitorem. *Aug. Epist. 61.*

DIES XXVII.

De Felicitate Animæ, Quæ Ab omnibus separata totam se Deo committit.

I.

QUAM felix est anima illa, quæ ab omnibus libera, & expedita non nisi Deum vult, & quærit, eique se totam committit. Quantas ea divitias non invenit in hac omnium rerum nuditate? hoc proprium est animarum, de quibus D. Paulus ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* *2. Cor. 6. 10.* Hæc est optima illa pars, quam elegit Magdalena, quæque auferri ab ea non poterat. Anima sic comparata est

san-

November. sancta sui impotentia Deo dicit : omnes meas divitias in hac nuditate, & rerum terrenarum expoliatione repositas habeo, nimum dives in hac mea paupertate, modo Deum possideam. Totam meam felicitatem, & voluptatem in eo colloco, quod omnibus carnis, & sensuum illecebris, atque animi remissionibus careat; modo Deo meo fruatur, eumque degustem. Omnem gloriam meam in eo sitam esse censeo, quod nuntium remittam omni gloriae, omnibusque honoribus, nimum felix, si per mei depressiones, & contemptus gloriam Dei mei promovere queam.

II. Anima perfectae nuditati hunc in modum addicta aliam habere voluntatem non desiderat, nisi voluntatem Dei, nulla desideria, nisi ad Deum, nullam spem, nisi in Deo, praesidium nullum, nisi in Deo. Tota vult esse Dei, & ut Deus ipsi sit omnia; vult, ut is sit bonum suum, requies, oblectatio, gaudium, gloria, vita, unica & suprema felicitas sua, haec verè dicere cum S. Francisco potest: *Deus meus, & omnia.* Quo igitur reliqua omnia apud eam sunt loco? Cui Deus est omnia, dicebat Divus Franciscus Salesius, mundus ei nihil est, haec perfectè cupit

Davi

Davide sentit, & exclamat: *Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea;* & qui nunc penitus me reddis felicem, quantò felicior me reddes in aeternitate? hi sunt animi sensus separatae à mundo animæ. Hos non comprehendit, quia non amat: Da mihi, inquit S. Augustinus, animam Dei amantem, ea totum id, quod dico, comprehendit, quia experitur; sed animæ Deum non amanti hæc lingua peregrina est.

November,
Psalm. 27.
25.

III. Si qua anima tantas divitias in perfecta nuditate invenit, quantam felicitatem non invenit, ubi perfectè se Deo committit? Tu Domine, dicit ipsi, in me es, atque magis animam meam animas, quàm anima corpus meum: atque in te, & in sinu Providentiæ tuæ sum, quemadmodum infans in gremio matris suæ. An non in pace quiescere mihi licet, imò cum tranquillitate eidem indormire? Deus semper de me cogitat; an non tuò mei oblivisci possum, nihil metuens, ne is mei non recorderetur? An is desereret hominem, qui se ei penitus addicit? homo, quantumcunque arrogans esset, id non faceret. Deus semper mecum est per suam præsentiam, per suam protectionem,

Q 2

&

November, & auxilium : an igitur quidquam agere melius possum , quàm ei me affigere per continuam subjectionem ; quàm eo nisi per vivam confidentiam ? Deus in me totus occupatur , semper attentus mihi , nec quidquam facit , sive naturæ , sive gratiæ spectemus ordinem , nisi propter me . Si igitur me totum ipsius curis committo ; an ulli me periculo expono ?

Confundere , si hanc linguam non intelligis ; id enim signum est , te nec ab omnibus separatum esse , nec te integrè Deo commisisse .

Quid mihi est in Cælo , & à te quid volui super terram ? *Psal. 72. 25.*

Si habemus te , quid ampliùs volumus ?
Augustin.

DIES XXVIII.

Christus Hominum Est Reconciliator.

I.

Non est , nisi unus Mediator Dei , & hominum , inquit Doctor gentium : & hic est Iesus Christus , qui è cælo se demisit , Patrem suum cum hominibus reconciliaturus . Ut quis perfectus sit reconciliator

1. Oportet eum non modò neutri duarum **Novemb**
partium esse suspectum, sed etiam apud u-
tramque autoritate pollere. 2. Oportet
eum hac autoritate uti, ad eos reconcilian-
dos, ad illum qui offendit, permovendum,
ut satisfaciatur offenso; & hunc, ut satisfac-
tione sibi oblata contentus sit. 3. Si pars
offensa exigat, ut sibi juxta rigorem fiat
satis; altera verò ei satisfacere nequeat;
necessarium est, ut reconciliator ad mu-
nus suum ritè obeundum ipsemet satis-
faciat. Omnia ista non nisi Christo con-
veniunt. Is neutri partium suspectus ef-
se potest, nempe nec Deo, nec homini.
Is cum Deus sit, ejusdem est cum Patre
naturæ, ac proin zelus pro ipsius gloria
deficere eum non potest: cum sit homo, e-
jusdem est nobiscum naturæ, & sic com-
moda nostra, ipsius sunt commoda. O-
portuit eum autoritate sua uti ad homi-
nem compellendum, ut è rigore satisfacere
Deo id exigenti; cum igitur homo id
præstare non posset, necessarium erat, ut
Christus id præstaret. Is est homo; idcir-
co pati, & mori, adeoque satisfacere po-
terat. Est Simul Deus; itaque compen-
sationem offerre potest offensæ æqualem,
atque ex rigore satisfacere: quod in Cruce
impletum est.

O 3

II. At-

November. II. Atque hoc confidentiæ nostræ fundamentum esse debet; non virtutes nostræ, etsi illæ forent heroicæ; non bona nostra opera, licet perfecta forent; non his, inquam, sed Christi cruciatibus, qui virtute sanguinis sui Patri suo nos reconciliavit, fiducia nostra niti debet. *Is fecit utraque unum, & medium parietem maceris solvit, quæ erat inter Deum, & hominem.* Tormenta Servatoris mei pro peccatis meis omnibus satisfacere. Quid igitur mihi timendum? hæc omnes mihi gratias meruere; quid mihi non sperandum? satisfactiones Redemptoris mei ad me pertinent: itaque, quantumcunque insanabilia vulnera mea videantur, potentius tamen malo remedium mihi suppetit. Quantumvis immensa debita mea credantur, iis tamen expungendis impar non sum; cum in sanguine Servatoris mei propter me fuso, thesaurum inveniam infinitum. Si gravissima flagitia perpetrasset, si cernerem, terribilissimos iræ divinæ effectus in caput meum irruere paratos, dummodò sinceræ confidentiæ in satisfactionibus Christi concipere affectum, & ita confisus eas Patri æterno offerre possem; tunc, mi Deus, & peccata mea, & vindictas tuas formidare cessarem; quid enim

omnia ista nocere mihi poterunt, si vel se-
mel in cor Iesu mei, in cor amore mei
transfossum confugiam? November,

III. Merita Servatoris mei ad me spe-
ctant; nihil igitur est luminum, nec co-
gnitionum quantumvis sublimium, neque
gratiarum, quantumcunque inusitatae vi-
deantur; ad quas aspirare, easque petere
nequeam, certoque obtenturus non sum, si
eas cum perfecta confidentia in Meritis
Christi petam; quandoquidem per ipsum,
& cum ipso peto; vel potius ipse est, mi
Deus, qui eas in me, & pro me petit, ea-
rumque jure postulat effectum, cum illas
misericordiam suam mihi sit meritis. Ausim
dicere, Domine, negari mihi non posse,
quod a te petiturus sum per merita poten-
tis hujus reconciliatoris, si id petam cum
perfecta in illum confidentia. Et cur id
non obrineam, si cogitem, eum pro me sa-
tisfecisse? hac ratione securus sum, me om-
nia a te impetraturum, si cum Ecclesia
dixero, *omnia fieri per Dominum nostrum Ie-
sum Christum.*

*Quantiscunque sceleribus obnoxius sis, noli
animis cadere, dummodo magnam in Christi
Meritis, & Satisfactionibus habeas confidentiam,
in iis enim certam spem, omnia mala evitandi
invenies.*

November. Unus Mediator Dei, & hominum homo
Christus Iesus. *1. Tim. 2. 5.*

Inter Deum, & hominem mediatrix est
Divina Humanitas, & Humana Divinitas.
Aug.

DIES XXIX.

De Collectione animi.

I.

AD faciendos in virtute progressus nihil
magis necessarium est animi collectio-
ne. Negotiorum turba, quam, ut ab illa
nos eximamus, obtendimus, ipsissima est
ratio, quæ illius necessitatem ostendit.
Quò magis nos ad externa diffundimus, eò
magis necessum est, ut ad nos revertamur:
id nisi fiat, occupationes saltem aliquoties
etiam optimæ magnopere nos dissipant.
Negotia quantumcunque iusta, mentem
occupant, dividunt, atque aliò averunt.
Res sive fastidiosæ, sive amœnæ, quæ in
negotiorum administratione occurrunt,
animi commotiones excitando, magnam
mentis evagationibus ansam præbent ho-
mini, cui non est curæ ad se redire. De-
nique multitudo intentionum imperfecta-
rum, negotijs nostris, si nobis non invi-
gi-

gilemus, se se implicantium, animum nostrum summopere dissipant. Viri Sanctissimi ingemuere hujc dissipationi, quam in seipsis adverterunt. S. Bernardus, qui defectum hunc magno cujdam Pontifici exprobrarat, ipsemet deplorat infelicitatem, quam expertus est in eum labendi; & nos eum non deflemus; dum eadem mentis evagatio nos impedit, quò minus ejus effectus sentiamus, & formidemus.

II. Non dissipamur solummodò in functionibus etiam sanctissimis, quæ rerum creaturarum commercio nos implicant, sed eis plerumque nos affigimus. Cor hominis vivere non potest, quin alicuj se rei affigat; cum vivere ei sit amare, & amare se affigere; ideòque necessum est, ut vel creaturis, vel Deo adhæreat: si collectionis caret spiritu, qui præcipuè versatur in attentione ad Deum, Deum in creaturis intueri non assuescet; & idcirco nec mentem à rebus creatis ad Deum elevare, nec eundem in illis quærere, nec ei adhærere poterit: si verò Deo non adhæret, creaturis se addicet; in quibus inveniet, quo naturæ suæ propensionibus faciat satis: Illæ si utiles sint, proprii amore commodi iis se mancipabit; si gratæ, ob carnis illecebras illis se addicet; si splendidæ sint, inanis

November. gloriae studio illis adhærebit. Sic homo, qui in medio occupationū piarum zelum, virtutemque habere creditur, dum ad aliud non incumbere videtur, quàm, ut alios à mundo, & rebus creatis avellat, defectu collectionis animi, & vigilantiae, seipsum sensim, ac sine sensu illis affiget.

III. Deficiente animi collectione non tantum dissipamur in optimis occupationibus, nosque creaturis addicimus, sed, quod necessariò sequitur, pervertimur. Ut ostendatur, cor nostrum perverti, satis est, si dicatur, id rebus creatis adhære. Perversio hæc ab impuritate provenit, & impuritas è permistione cum eo, quod est externum, & adventitium cordi nostro, quod non nisi pro Deo creatum est. Atque hæc permistio ideò contingit, quòd rebus creatis adhæreamus. Primò quidem intellectus, tum etiam animus depravari incipit, quomodo intellectus semper dissipatus, & nec Deo, neque sibi attentus tueri se potest à fallacijs falsorum luminum rationis humanæ, & præjudicijs, ac colloquijs illorum, quibuscum vivit, quique non nisi bona frivola, & caduca æstimant? nihil est, nisi attentio ad Deum, & axiomatum Evangelij recordatio, quòd eum adversus torrentem sistere possit: an
hoc

hoc obtineri sine animi collectione potest? **November.**
si intellectus corruptus est, brevè etiam animus corrumpetur: si bona, voluptates, & honores mundi æstimamus, non longè aberit, quin eos amemus. An verò amare possumus, quin eis nos affigamus, & eis nos affigere, quin depravemur?

Sequere consilium S. Bernardi, te non immergendi negotijs quantumcunque bonis; sed iis solummodò te commodandi, & studendi, si ad exteriora te effuderis, subinde ad te redire.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. *Psal. 52. v. 7.*

Memento proinde interdum reddere te ipsum tibi. *Bern. de Confid.*

DIES XXX.

De Magnitudine DEI.

I

DEUS magnus est: nec præter ipsum alius est, qui magnus sit. *Tu solus Altissimus*: vel certè nullus est, qui magnus in omnibus sit. Homines magni sunt in una re, non item in altera. Ille magnus est à sua dignitate; non verò à Natalibus. Ille magnus est à Natalibus, non item à me-

me-

November.

meritis. Alius magno pollet animo : non autem magna sapientia. Deus magnus est in omnibus : magnus sapientia, magnus potentia, magnus bonitate, magnus sanctitate. Propterea ipsius magnitudo est infinita. *Et magnitudinis ejus non est finis.* Magnitudo hominum fragilis, & mutabilis est, ab hominum imaginatione, & memoria pendens : si contemnantur, vel ex hominum memoria elabantur, magni amplius non sunt ; sed magnitudo Dei est immutabilis, cum à nemine pendeat : Deus, licet eum ignoremus, vel obliviscamur, non minus est magnus. Homines non sunt magni, nisi per comparationem. Nobilis aliquis videtur magnus subdito suo comparatus : sed cum magno Principe collatus, quàm parvus est ! atque hic Princeps, ubi coram Rege compareret, quàm parvus est ! sed Rex ipse quid est coram Deo ? purum nihilum : *Tanquam nihilum ante te.* Deus solus magnitudine pollet omnibus numeris absoluta, quia summus est : homines à se ipsis magni non sunt. Rex aliquis magnitudinem suam à subditorum multitudine mutuatur. Exercitûs Imperator à numero, & fortitudine suorum militum ; sed Deus à seipso magnus est, quia in seipso

ipso magnitudinis suæ fundamentum habet sibi innatum, atque ideò infinitum. **November.** Deus solus tam magnus est, quàm esset cum millenis mundis, qui ab ipso penderent.

II. Magnates mundi sæpè magni non sunt, nisi falsa nostra imaginatione magni nobis videntur, inquit Sapientum quidam, quia nos parvi sumus. Si crescimus, si magni evadimus, illi parvi fiunt. Si nos in infinitum cresceremus, coram Deo parvi semper essemus. Homines multoties magni non sunt, nisi per nostrum errorem. Nos magnitudinem non rarò in eo constituimus, ubi ea non est; nempe in divitijs, dignitatibus, in multitudine nobis subjectorum: omnia hæc non sunt, nisi magnitudo falsa, vel certè magnitudo aliunde petita. Merita verò veram magnitudinem efficiunt, & sola virtus vera progignit merita: Propterea Deus infinite magnus est, quia infinite bonus, & sanctus est. Magnitudo hominum est magnitudo fugax, quæ diutius non perseverat, quàm eorum vita, & hominum recordatio: omnia hæc transeunt; idque solùm habent commodi, quòd majorem, quàm alij, cadendo, tumultum excitent, quia alij cadunt. *Perijt Psal. 7. v. 26*

memor

November. *memoria eorum cum sonitu.* Sed ad te, Domine, quod attinet, magnitudo tua semper perseverat; quia necessariò tibi propria est, nec ab ullo pendet: *Tu autem Domine, in aeternum permanes.*

Psal. 101.
13.

III. Magnitudo, quam in alijs advertimus, tres in nobis parit effectus. Aestimationem, venerationem, & timorem.

I. Aestimationem, amor nostri ipsorum in hoc cum ratione certat, quòd eos velut perfectiores censere nos jubear, quos dignitate sublimiores esse cernimus: verum cum præter Deum, nihil verè magnum sit, nihil etiam præter ipsum est, quod aestimari à nobis mereatur. Quicumque aliquid, excepto Deo, magnum esse credit, ipsemet valdè parvus est.

2. Magnitudo venerationem nobis inspirat. Tanto cultu Reges afficimus, ut eos amare, vel nostrum ipsis amorem aperire ferè non audeamus. Quantam igitur venerationem divinæ Majestati exhibere non debemus? cum quanta reverentia in Templis Magnitudine, & Majestate Dei plenis nobis non comparandum? Denique magnitudo timorem imprimit. Si quis magnus est, multum potest: si multum potest, sui timorem incurit; quòd multum inferre mali queat. **Potentia Regum cum regno**

regno terminatur, & vita: verum po- November,
tentia Dei toto orbe non circumscribitur;
hæc se extendit ultra tempus; & usque ad
æternitatem. Idcirco Servator concludit,
non timendos eos, qui corpus solum oc-
cidere possunt, sed illum timendum, qui,
postquam corpus occidit, pænâ æternâ
animadvertere in animam potest.

*Assuesce parvi æstimare omnes terræ magni-
tudines; & si illæ mentis oculos perstringunt,
ad te revertere, & dic: Nihil magnum est
præter te, mi Deus.*

Magnus Dominus, & laudabilis nimis,
& magnitudinis ejus non est finis. *Psal.*


144. v. 3.

Quid dicimus, Deus meus, aut quid
dicit aliquis, cum de te dicit?



CON-

December.



CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

pro singulis Anni diebus.

D E C E M B E R.

DIES I.

De Modo Tempus Adventus
sanctè transigendi.

I.



D dies Adventus Dominico
sacros sanctè transigendos,
cum Ecclesia sentire, ejus-
que intentiones sequi nos
debet. Hæc, cum tem-
pus hoc instituit, eò men-
tem intendit, ut Deum in utero Matris
sue humana carne indutum honoret, cum
ipso se uniat, atque ita, sicut ipse, ani-
mo affecta sit. Prima animi affectio Ver-
bi incarnati fuit tam profunda sui ipsius
depressio, ut Apostolus dicat, eum in
humanitatis à se assumptione *semetipsum*

Phil. 2. 7.

exi.

December.
Hebr. 1. 6.

exinanisse. Cum non solum homo factus sit, sed naturam humanam in statu abjectissimo assumpserit; nec infans fieri contentus, assumptam servi, & peccatoris formam, omnibus miserijs, quae a peccato oriuntur, se submiserit. Ad honorandam exinanitionem, in quam Dei Filius nostri amore se demisit, illius memoriam pie recolere saepius per diem nos oportet, atque SS. Angelis nos associare, quibus, ut D. Paulus docet, Pater aeternus praecipit, ut Filium suum primo assumptae carnis momento adorarent. 2. Omnem superbiae motum, & inanis gloriae cupiditatem reprimere, in extrema submissione coram Deo se continendo, ad colendam Filij Dei exinanitionem. 3. Frequenter elicere actus humilitatis tum interioris, tum exterioris, eosque cum similibus Christi actibus unire. Denique libenter acceptare depressiones, quae nobis obvenient, & felices nos reputare, quod hanc cum Deo in nihilum quodammodo redacto similitudinem habeamus.

II. Altera Filij Dei in utero materno animi affectio primo assumptae a se humanitatis momento fuit affectio consecrationis. Primus actus, quem Servator noster, adorato Patre suo, exercuit, erat,

P
eidem

ES
R.
ntus
inico
ados,
ejus-
i nos
rem-
men-
arris
cum
ani-
Ver-
plius
m in
psum
is

December. eidem se totum consecrare, ad ejus gloriam faciendam, & hominibus salutem afferendam; ac pro ea offerre animam, & corpus, omnesque animi, & cordis sui motiones, ac simul omnibus cruciatibus, & laboribus, ad quos eum Servatoris officium obligabat, & morti ipsi se devovere; nam, ut Apostolus eum loquentem **Hebr. 10. 5.** inducit: *Pater, sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem adaptasti mihi: hoc tibi victimarum illarum loco, plenissimo mentis affectu offero.* Ad honorandam hanc Servatoris animi affectionem, æquum est, ut similes nos ei reddamus, & bis saltem, terve de die penitus ei consecremus animam, corpus, & cor nostrum, omnesque ejus motus, nosque ad omnia offeramus pro ipso agenda, & toleranda; atque felicissimos nos æstimemus, quod ipsius servi, & hoc nomine penitus ei subjecti simus.

III. Tertia animi affectio Filij Dei in utero materno fuit affectio mortificationis, & quidem mortificationis maximæ, & prorsus universalis, & quæ concipi possit, constantissimæ; quia, cum usum rationis perfectum haberet, ad uterum matris suæ se condemnavit novem ibi mensibus moraturus, nec ullum potissimum

facul.

facultatum exercitium, vel sensuum usum Decembris
 habiturus. Ut hanc animi affectionem
 honoremus, tempore Adventus solitudi-
 nem amare, mentisque solito amplius col-
 lecti esse debemus, ut novem mensium
 carcerem ipsius imitemur. 2. Hoc tem-
 pore peculiariter nos impendere cupidi-
 tati, carni, & sensibus nostris compri-
 mendis, ut hac in re Christum imitemur.
 3. Rescindere, vel certè moderari nostras
 oblectationes, animique remissiones tem-
 pori, quod mortificationi destinatum est,
 non convenientes. Denique exemplum
 imitari tot piarum animarum, quæ hoc
 tempore jejunia, vel alia pœnitentiæ ex-
 ercitia sibi injungunt.

*Non desis tibi, quin Adventus tempore hos
 actus, Adorationis, Consecrationis, & tui ip-
 sius Abnegationis aliquoties elicias, ad honoran-
 dum Verbum humana carne indutum in his sta-
 tibus.*

Semetipsum exinanivit formam servi
 accipiens. *Phil. 2. 7.*


Magna miseria superbus homo; sed
 major misericordia humilis Deus. *Aug.*



✠

P 2

DIES

Decem^{bris}.

DIES II.

De Fine Hominis.

*De Vsu mediolorum ad hunc finem
obtinendum.*

I.

DEUS, cùm hominem creavit, non potuit eum non amare, suumque amorem beneficijs eidem testari, procreando prodigiosam rerum copiam valde perfectarum, non modò ad illius necessitatem, sed & commoditatem, imò & delicias. Hæ res ab eo creatæ totidem divinæ, ac liberalissimæ manûs sunt munera, quæ hominem ad gratam beneficiorum memoriam obligent; sunt rivi supremi hujus boni, qui hominem admoneant, progrediendum esse ad fontem; sunt imagines visibiles pulchritudinis hujus non visibilis: an creaturas hunc in modum consideras? an rivus te ad fontem perducit? an ab Ectypo ad Archetypum transis? an, dum recipis donum, oculos levas ad liberalem Dei manum; quæ illud tibi tribuit?

II.

II. An non contrarium ag's ? an non, December.
cùm te gratum, ac beneficiorum memorem probare Deo deberes, è bonis ab illo tibi collatis ingrati animi sumis ansam ? an non, cùm ex hoc fonte inexhausto omnia bona haurire posses, sitim tuam levare è cœnoso quodam rivulo in cassum laboras ? an non, cùm animum, & cor tuum ab hac venustate visibili, sed imperfecta, quæ in creatis cernitur, elevare deberes ad venustatem illam non visibilem, infinite perfectam, quæ in Creatore invenitur, affectum tuum miseræ huic creaturæ affigis, nec tuo in eam amori moderaris ? an non eam loco Dei habes ? an non eam idolum tibi statuis ?

III. Ah! inter illos quoque, qui Christianorum gaudent nomine, quàm multi idololatræ inveniuntur, qui vera sibi idola cudunt, vel res creatas, vel cupiditates suas ? Et sanè an non eas votorum, & adorationum suarum scopum sibi statuere, omnia, honorem, conscientiam, salutemque suam illis immolare idem est, ac idola sibi ex illis conflare ? an non es è numero horum idololatrarum ? D. Paulus avaritiam appellat idololatriam : *avaritia, quæ est idolorum servitus.* Si bona per injustitiam congeris, vel immoderata cupiditate

December. *rate possides, an non saltem per tuam
vivendi rationem cum avaro illo in SS.
Litteris dicis? Dives effectus sum; inveni idolum
mibi. In quo omnem meam confidentiam ponam, propter quod omnia
agam, cui me totum dedicem: Perdam, inquit Dominus, idolum cum suo idola-
latra. Quantum horrorem hæ minæ vero
huic idololatræ, & ficto Christiano incur-
tere deberent?*

Osea 12. 8.

*Scrutare cor tuum, ut videas, an non in
eo idolum quoddam locum Dei obtineat; an
non creatura aliqua ibi dominetur, quæ de
dominio cum Deo certet; & statue quantocius
idolum illud ejicere.*

*Aut avarus; quod est idolorum servi-
tus. Ephes. 5. 5.*

Sanctum est, quodcunque placet. Aug.

DIES III.

De Proprietatibus Veri Zeli

I.

Zelum salutis fratrum nostrorum omnes
habere debemus: sed ut is verus, &
perfectus sit, à charitate animari, à pru-
dentia dirigi, à mansuetudine temperari
debet. Charitas veri Zeli origo esse de-
bet.

bet. **Zelus** fallus est, qui vel à ferventi **Decembris**, naturæ impetu, vel ingenito multa præstandi pruritu, vel ex occulta quadam ambitione oritur. Hi omnes Zeli nomen haud merentur: verum ille solus, qui charitate animatur: atque iste ardens est ad amplectenda omnia media, quæ aliorum salutem expedire possunt; quantumvis ea difficilia sint. Constans est, qui difficultatibus terreri se non patitur, universalis, qui neminem excipit. Tali Zelo flagavit D. Franciscus Xaverius, cujus hodie festa dies celebratur. Hujus viri Zelus erat ardentissimus, cum alios ei limites non statuerit, quam limites universi terrarum orbis. Fuit constantissimus; quia neque maria, neque tempestates, neque naufragia, neque mortis pericula, quibus millies sese exposuit, eum deterrere potuerunt. Denique fuit universalis, quia omnes nationes, Christianos, ethnicos, barbaros, omnes status & conditiones, Reges, Principes, Magnates, plebejos, pauperes, divites, servos, liberos, & peccatores penitus desertos complexus est.

II. Zelus dirigi debet à prudentia. Zelum quidam habent temerarium; qui non secundum scientiam est, ut Apostolus

December. loquitur. Verum Zelum prudentem esse oportet. Prudentia verò Zeli in eo versatur, ut à seipso initium capiat. Salus nostra primus Zeli nostri scopus sit, necesse est; & sanè stultitia foret de sanctitate alijs conferenda cogitare, neglectà propriâ. *Eccles. 37. 25.* *Est sapiens animæ suæ sapiens, inquit Spiritus sanctus.* Talis erat Zelus D. Francisci Xaverij; qui de alijs ad bonam frugem, & fidem Christianam convertendis non cogitavit, priusquàm se perfectè convertisset; sanctitate seipsum imbuendo, ad eam utiliter, & efficaciter animabus conferendam se præparavit, & prælio, quo animi sui motus subegit, ad dæmonem, & mundum profligandum se reddidit habilem. Victoria, quam de se ipso reportavit per actus mortificationis heroicæ, generosi mundi contemptus, profundæ humilitatis specimen quodammodo fuit, & simul medium, ad felicem sortiendum exitum; uti factum est in animabus ad Deum adducendis. Ah! quàm potens est homo, qui Deo perfectè se submitit, ad alios eidem submittendos?

III. Verus denique Zelus mansuetudine temperandus est. Zelus, & mansuetudo, duæ sunt virtutes, quæ sociari inter se posse non videntur, & quemadmodum

modum eorum confociatio difficilis, sic **December.**
& rara est. Licet dilectus Christi discipulus mitissimus esset, ubi motibus Zeli sui adversus Samaritanos abripi se passus est, mansuetudinis suæ adeo fuit oblitus, ut ignem è cœlo ad illos absumendos evocare vellet. Quis unquam ardentiori Zelo animas in salutis viam perducendi flagravit, quàm sanctus Indiarum Apostolus? Maximi omnium peccatores, omnique ope destituti erant ij, quos cum majore solitudine conquirebat, magnitudine miseriarum, queis premebantur, ipsius commiserationem, & amorem magis, magisque inflammante: imò non inveniebatur peccator, quantumcunque obstinatus, qui solerti ipsius Zelo, & fascino, ut ita loquar, affabilitati se non dederet. Is modò non minori Zelo, & comiseratione erga peccatores in cœlo fertur, quàm ferebatur in terra degens; atque ipsius potestas major est.

Accede igitur ad ipsum ad impetrandam veram conversionis gratiam: in quocunque enim statu vivimus, emendatione nobis opus est.

Ponam Zelum meum in te. *Ezech. 23.*

r. 25.

Quò Zelus firmior, & vigilantior, est opus scientiâ, quæ Zelum supprimat,

P 5 spi

December. Spiritum superet, ordinet charitatem,
Bern.

DIES IV.

De Pretio Animæ Nostræ.

*Anima nostra pretium nos obligat,
ut nulli parcamus labori ad salutem æter-
nam consequendam.*

I.

SI animæ nostræ pretium cognoscere-
mus, tam exiguam ejus curam non ge-
reremus, nec tam facile æternas pœnas
incurrendi periculo eam exponeremus.
Deus solus, qui eam creavit, illius novit
pretium. Ea est opus manibus ejus di-
gnum, operum ipsius caput, & elegantis-
sima ipsius imago; spiritus, sicut ipse, in-
telligens, immortalis, sicut ipse, nemini-
que nisi ipsi cedit. Spiritus cum sit, totus
terrarum orbis, quantumvis elegans, &
perfectus sit, quia materiã constat, nec
perfectione illam æquare, nec cum ea
comparari, nec, quod inde sequitur, eam
saturare potest. Cum immortalis sit, to-
tum id, quod moritur, totum id, quod
transit, vel transire potest, reddere illam

te.

felicem non valet: necessarium proin est, December,
ut id, ad quod tendit, sit immortale, sit
æternum: hoc autem non nisi Deus esse
poteft.

II. Eandem, quam Deus, de animæ
pretio opinionem concipere debemus.
Ipsius iudicium nostri esse regula debet.
Quidquid is facit, siue ad naturæ, siue gra-
tiæ attendamus ordinem, ad animæ salu-
tem refert, nec quidquam, nisi hunc in fi-
nem procreat; huc curæ omnes Providen-
tiæ divinæ collimant: *omnia propter ele-*
ctos, inquit Apostolus: si filium suum in
mundum mittit, si vult ut humanum sibi
corpus induat, vult, ut in Cruce moria-
tur, id ob animæ salutem contingit; ut
proin eam pluris, quàm vitam filij sui æ-
stimare videatur; etsi ea rota divina sit;
cùm desideret, ut is illam istius animæ sa-
luti consecret. Filius id ipsum cum Pa-
tre sentit, ac lubenti animo omnem san-
guinem suum, eam redempturus profun-
dit, ratus operam suam bene collocatam;
quòd gaudium inde capiat, nostrasque
gratulationes exoptet. Si anima tanti
in se pretij est, quanti erit, postquam IE-
su Christi sanguine redempta est? valet ea
omnem Dei sanguinem; quantum pro-
tium!

III. An

December,

III. An idem de animæ tuæ pretio cum Deo sentis? an tanti, quanti ipse, eam æstimas? si ita res se haberet, an quotidie eam pro re tantilla æterni supplicij discrimini exponeres? an diabolo diceres, quod Judas Judæis: *quid vultis mihi dare; & ego eum vobis tradam?* hanc voluptatem, hunc honorem, hoc commodum mihi da; tunc anima mea tua est. Si animam tuam tanti non facis, quanti Deus eam facit; tanti saltem eam æstima, quanti diabolus eam æstimat. Cur eam tam parvi ducis, cum Dæmon eam, ut rem pretiosissimam plurimi ducat? is omnia agit, omnia largitur, omnia promittit, ut eam impetret, & pænis sempiternis addicat; & tu nihil agere, nihil pati, nihil dare vis ad Beatitudinem æternam ei obrinendam? a n minori tuâ interest animæ tuæ salus, quàm Dæmoni, ejusdem perditio?

Matth 26.
15.

Si diabolus te tentaverit voluptatis cujusdam illicio, vel alicujus commodi spe, dicito tibi: et ipsi: quid? anima mea omni Dei sanguine valet, pretij est infiniti, & ego eam pro re tam modica darem? æternum pœnitere tanti emergere non lubet.

Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam. Io. 10. 17.

No-

Noli tam viles putare animas, quas diabolus putat esse tam pretiosas. *Salvian.* December.

DIES V.

De Desiderio Mortis.

Mors vero Christiano desideranda.

I.

Sumusne Christiani, si fidem non habemus? si verò fidem habemus, cur mortem tantopere formidamus? vel potius: quì fieri potest, ut eam non desideremus? natura necessarium nobis felicitatis obtinendæ desiderium inspirat: fides nos docet, nos perfectâ felicitate non fruituros, nisi in cælo, ubi Deum possidebimus, eademque felicitate, qua ipse, felices erimus, felicitate nempe æterna, vniuersali, infinita. Ratio nos convincit, nos, nisi per mortem hac felicitate gaudere non posse, & nihilominus tantùm abest, ut eam ardentè desideremus, ut potius eam, velut malorum omnium maximum timeamus; ad solum ejus conspectum trepidemus; nec ejus quidem mentio fieri possit, quin animo consternemur? quænam hæc discrepantia sensuum nostrorum? quænam de-

December. desideriorum nostrorum dissensio? ad supremam felicitatem pertingere volumus; & viam, quæ sola nos eò perducit, aggredi renuimus. Itaque aut fidem, aut animi sensum mutemus; aut adspirare ad felicitatem, aut mortem formidare cessemus: quæ sola nos reddere perfectè felices potest.

II. At, quæ scio, inquis, an ad hanc æternam, & infinitam felicitatem prædestinatus sim? si fides te non deficit, tum spes tibi deest. An verò hæc deesse tibi potest, si Christianus es? an ea deesse tibi potest, ubi Deus hanc felicitatem sperare te jubet? is, si te illius participem reddendi, cum eam tibi pollicetur, desiderio careret, impostor foret: potestne verò Deus nobis imponere? an spe nostra fraudari possumus? an spes tibi deesse potest, si perpendas, Deum proprium filium nobis donasse? & quid eò donatò negare tibi potest? an illa tibi deesse potest, si recordaris, filium Dei felicitatem hanc sanguinis sui pretio tibi fuisse promeritum, certissimum tibi jus contulisse, réque petere à Patre meritò posse, quod filius è purâ misericordia tibi meritus est? æternæ felicitatis consequendæ spe destitui, idem est, ac dubitare, vel de misericordia, vel de fide,

li.

litate Dei; vel de virtute meritorum Christi. At de his omnibus dubitare, estne Christianum esse? vel potius? an non est omnia Religionis nostræ fundamenta evertere? querimus, tam parùm fidei in mundo inveniri; inveniturne plus spei?

III. Possumusne esse Christiani, si charitate destituimur? si Deum non amamus? si verò charitate non destituimur, si Deum sincerè amamus, fierine potest, ut mortem non ardentè desideremus; quæ Deum offendendi nos reddit incapaces, & felicem eundem amandi necessitatem nobis imponit, si non amore tanto, quanto dignus est, certè tantò, quanto amare eum possumus? si Deum amamus, fierine potest, quin optemus, ut ejus Regnum nobis obveniat, quemadmodum quotidie perimus? hoc Dei Regnum omni ex parte perfectum, nisi post mortem nobis obvenire, nec impleri, nisi in cælo potest: si Deum amamus, fierine potest, ut non ardentè desideremus ejus gloriam, & quidem majorem ejus gloriam; quæ in eo consistit, ut is perfectè cognoscatur, perfectè ametur? perfectam hanc Dei cognitionem, perfectumque amorem non nisi in cælo habebimus: ad cælum verò, nisi per mortem perveniri non potest. O Beata mors.

plus

December. plus quàm mille vitæ mihi optanda; cùm tu sola mihi vitam amoris, & quidem amoris perfecti, vitam æternam, vitam summè felicem afferre possis!

Erubescere, quòd mortem non desideres; sed multò magis immoderatè formides: hoc enim signum est, te vix habere fidem, spem, & charitatem. Et si virtutes has non habes, quis es?

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Psal. 8. v. 2.*

Qui vult esse cum Christo, patienter vivit, & delectabiliter moritur. *Aug.*

DIES VI.

De Judiciò Extremo.

*Misericordia Dei Incitamentum erit,
& mensura rigoris ipsius in iudicio.*

I.

AMOR IESU Christi erga hominem, & misericordia Hominis-Dei pro illis in Cruce morientis, erunt in extremo iudicij die iustissimæ non modò, sed & terribilissimæ peccatori formidandi causæ. Bonitas, & patientia extra modum magna, ubi fatigatæ, & irritatæ fuerint, in furorera

rem migrant, & plerumque ab extremo December.
 amore, ubi is læsus fuit, ad odium tran-
 situr extremum. Quid igitur ab infinita
 Dei Bonitate irata, ejusque amore irrita-
 to, reprobis non timendum. quandoqui-
 dem ex hoc ipso amore, & Bonitate iræ,
 & vindictarum suarum capiet argumen-
 tum? nam, ah! si ita res se habet, quis
 eum placare poterit? imò reprobi opta-
 bunt, ut montes super se cadant, queis re-
 gantur, & occultentur, non à leone rugien-
 te, sed à conspectu Agni, cujus ira tantò
 magis formidanda, quantò ardentius eos
 amavit, adeò, ut pro illis immolari vo-
 luerit: *abscondite nos à facie sedentis super thro-
 num, & ab ira agni. Apoc. 6.*

II. Quòdque adhuc magis in die illa
 magna, quam Scriptura diem iræ, & vin-
 dictæ Domini appellat, formidandum e-
 rit, est, quòd misericordia Dei, id est, si-
 ple amor Iesu Christi in homines non so-
 lum futurus sit potentissimum incitamen-
 tum, sed & justissima iræ ipsius, & vindi-
 ctarum mensura: nam, eheu! quousque
 illa mensuram hanc non extendet? tanto
 in peccatores feretur odio, quanto prius
 amore ferebatur; tantum eis mali infe-
 ret, quantum boni attulit: quo usque i-
 plum amor in peccatorem non adigit? a-
 ma-

December. mavit namque illum plus quàm sua bona; quàm suam quietem, quàm suam gloriam, quàm propriam vitam; cùm ei volupe fuerit pro illo isthæc omnia, imò, & seipsum immolare. En, quousque ipsum amor suus abriperit; poteratne, quantumvis Deus sit, plus præstare? vide, quò usque progressurum sit ipsius odium. Vide, quo usque ipsius beneficia progressa sint. Vide, quàm horrendæ futuræ sint ipsius vindictæ. proh terribilis, sed justa mensura!

III. Credebam, mi Deus, præter justitiam tuam, nihil mihi timendum in grandi illa die ultionum tuarum; sed video, misericordiam, amorémque tuum magis adhuc mihi, quàm ipsam justitiam formidandum. Ah! quid fiet, si misericordia, & amor tuus, qui totius spei, & fiduciæ meæ fuere causa, meruendi & desperandi mihi præbebunt ansam? quò in posterum confugiam? si Servator meus plus mihi timendus, quàm judex meus erit, quid mihi reliquum est præsidij? doceme, mi Iesu, te Servatorem meum, hic ita amare, ut te judicem non formidem, Bonitati tuæ adèò gratum esse, amore tuo ita capi, ut hæc Bonitas, hic amor mihi tunc non sint timoris, sed confiden-

fidentiae incitamentum, & sic assuescam in hac vita, cum ab inimicis meis premor, ad sanctissima tua vulnera confugere, ut ea mihi tunc perfugij, & asyli loco esse queant.

December.

Cave, abutaris bonitate, & patientia Dei; cum id, quod nunc ansam temeritatis tibi praebet, olim tibi futurum sit desperationis causa.

Sicut Dominus ante laetatus est super vos, bene vobis faciens, sic laetabitur disperdens vos. *Deus. 28. 63.*

Magna est severitas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordiae praerogata est. *Aug.*

DIES VII.

De Verme Conscientiae Damnatorum.

I.

PRaeter recordationem praeteritorum, & inutilem poenitudinem, Conscientiae Vermis, qui damnatorum manes indefinenter rodit, complectitur etiam anxietatem de statu praesenti, & crudelem desperationem de futuro. Haec anxietas, & desperatio nascuntur e multitudinem, &

Q³

gra

December. gravitate malorum, quibus liberari optant, & consideratione aliorum malorum adhuc majorum, quæ identidem ipsis intentantur, quæ quæ evitare desiderant: timent enim, quidquid patiuntur, simulque omnia patiuntur, quæ timent: sed vident, omnia sua desideria esse inutilia, suamque infelicitatem nunquam esse finiendam. Altera anxietatis, & desperationis ipsorum causa est, quòd, utut sint infelices, hanc tamen infelicitatem nemini, quam sibi met ipsis tribuere possint, at cana quædam voce assidue ipsis exprobrante: *Perditio tua in te Israel.* Id vel inviti agnoscere, & fateri cogentur. Et hoc veluti complementum ad illorum accedent miserias: si enim persuadere sibi possent, solum Deum earum esse causam, neque se quidquam ad eas contulisse, aliquid salutem inde caperent solatij.

*Osee 13 9
vide Cornel.*

II. Ex hac damnati desperatione nascetur venenatum sui ipsius odium, quòd se consideret damnationis suæ causam; furiosa quædam rabies eò ipsum adiget, ut se dilaceret, seipsum, si fieri posset, in nihilum, sed irritò conatu redacturus: *recabit mortem*, inquit sacrae litteræ, & *fugiet ab eo.* Optabit in nihilum redigi, ut infelix esse desinat; cumque desideria sua

in

in irritum cadere visuras sit, Deum aggre- **December.**
 dierur, veluti malorum suorum autho-
 rem, idcirco quod ipse conservator;
 vellet, ut illum destruere posset. Verum
 sentiet, æternitatem, & summum domi-
 nium Dei desiderio suo obstare, Deum-
 que æternum permanurum, ut ipsum in
 omnem æternitatem torqueat. Hinc
 rabiem suam converteret in supplicij sui in-
 strumenta, rabidi instar canis, & alliga-
 ti, qui lapidi, quo percutitur, dentes in-
 figit, cum malum inferre non possit per-
 cussori, nullo alio fructu, quam, quod
 dentes comminuat, & malum suum au-
 geat. Inde oritur angor infinitus, ab an-
 gore se vertet ad rabiem, à rabie ad de-
 sperationem, ad imprecationes, & blasphe-
 mias. En funestum Reprobi statum in o-
 mnem æternitatem: Væ tibi! si eo dela-
 baris; nunc penes te solum est, ab eo tibi
 cavere.

III. *Quis non horreat, inquit S. Bernar-*
dus, vermem illum semper mordacem, & mor-
tem vivacem; felix ille, pergit S. P. qui
in duritie cordis non quærit conscientia-
malè affectæ remediū, sed ultro ejus se mor-
tibus exponit, dum adhuc vermis illius
suffocari potest. Utinam ergo nunc ille
ita te rodat, ut infestus morsus evitatu-

Bern. de
Consid.

De Convers.
Cleri. Idem.

2519 Q3 rus

December rus eum opprimere cogaris, & dum te mordet, putredinem absumat, in conscientiæ latebras per peccata congestam, futurum alioquin famelico vermi alimentum: absumat, inquam, putredinem, & sei sum, ne fortè semper nutriendo reddas immortalẽ, tuumque olim per omnem æternitatem supplicium, & carnicificem.

Putredinem rodendo consumat, ut pariter & ipse consumatur, ibid.

Præbe te attentum voci conscientiæ tuæ, & eius exprobrationibus sensibilem, nunc, cum salutem tibi accersere possunt; peccatis renuntiando, quæ earum sunt causa.

Vermis eorum non morietur. *Isa. 66.*

24.

Optimum est, nunc sentire vermem, cum possit etiam suffocari. *Bern. de Convers. Cler.*



DIES



DIES VIII.

De Conceptione Beatissimæ
Virginis.

I.

BEatissima Virgo non prius esse, quam ad Deum spectare cœpit; nec animi citius ejus corpus animavit, quam charitas cor ejus possederit: quandoquidem ipsius Filius in Conceptionis illi⁹ momento, gratiâ eam beavit præveniente; quæ eam à peccato Originario exemit. Is privilegium hoc debebat quodammodo gloriæ Mariæ, & dignitati Matris Dei, ad quam Mariam extollebat. Ut comprehendamus, eam primigeniæ noxæ non fuisse subjectam, satis est comprehendere, quid sit Matrem Dei esse. Hæc sola dignitas clarè demonstrat hanc veritatem. Ex eo, quod Maria sit Mater Dei, omnes Patres concludunt, eam exemptam esse debere omni eo, quod huic dignitati convenire non potest: idcirco illius corpus liberum pronuntiant à minima impuritatibus labe, ab omnibus in vita concupiscen-

December.

riæ motibus, atque ab omni post mortem corruptione; & illius animam à defectibus etiam levissimis, rati, omnia hæc cum Matris Dei dignitate insociabilia esse. Estne igitur hæc dignitas sociabilis cum peccato originario, quod eam redderet Diaboli mancipium, & inimicam illius Dei, quem in utero suo portatura esset?

II. Christus Mariam à peccato Originario exemit, quia hoc debebat tum propriæ gloriæ, tum titulo Filij Mariæ, ad quem se demittere non est dedignatus; nam denique probrum Matris, Filij fuisset probrum, & peccati infamia, quod Mariæ maculam intulisset, gloriam, ut videtur, obscurasset præcipuorum Christi attributorum, nempe Bonitatis, Sanctitatis, & Sapientiæ ipsius. Poteratne is Matri suæ gratiam, quæ tantillo ipsi pretio constaret, tantumque Matri honorem conciliaret negare, quin injuriam ei inferret? Voluissetne ille, qui Patrem, Matremque honorare præcepit, debitum propriæ Matri honorem non habere? An verò hunc ei honorem habuisset, si eam Dæmonis fecisset mancipium? Sanctitas profectò Filij participem imparitatis Maternæ se reddidisset. Quid? possetne is ferre, ut Maria, quæ futura esset

esset Divinitatis templum, diaboli prius *December,*
possessione prophanaretur? fuissetne de-
in habitatio Deo digna? Denique ipsius
Sapientia eum obligabat ad eximendam
à peccato originario Mariam: è qua il-
lum sanguinem desumere volebat, qui
peccata nostra deleterurus esset. Fuisset-
ne autem sanguis iste habilis ad conferen-
dam nobis puritatem, si is antè ingenitâ
labe foedatus fuisset?

III. Sancti Patres, Doctores, Fideles,
Ecclesia ipsa, conspirant, ad tuendum
Beatissimam Virginem sine labe conce-
ptam. Maria ipsa, si Deus ei optionem
fecisset, potius eâ immunis, quàm Ma-
ter Dei esse elegisset; cùm major sit mi-
seria, inimicam esse Dei, quàm ejus
Matrem non esse. Ingens igitur infelici-
tas sit, oportet, vel unicum momentum
peccato obnoxium, gratiæ Dei expertem,
ejusque inimicum esse etiã absque sua
culpa, ut sit in peccato originario. Quid
igitur erit, sponte sua, ut nobis accidit,
peccato implicatum esse non ad momen-
tum, sed integros menses, imò & ipsos
annos? Cæcus proin sit, necesse est, qui
non concipit, quid sit Dei inimicum,
odij infiniti, & iræ omnia potentis sco-
pum esse: imò haud perfunctoriè stupi-
dum

December.

dum esse oportet, qui illius effectus non apprehendit, qui eos impedire non laborat, qui in hoc statu cum tanta tranquillitate perseverat, quasi metuendum sibi nihil esset. Funesta tranquillitas, quæ forsan in desperationem æternam desinet!

Accede ad Beatissimam Virginem, eamque per Immaculatam ipsius Conceptionem precare, ut tibi obtineat cor immaculatum, si non penitus peccato immune, ei certo non affectum.

Tota pulchra es - - - & macula non est in te. *Cant. 4. 7.*

Cùm de peccatis agitur, nullam volumus Mariæ haberi mentionem. *Aug.*

DIES IX.

De Peccato Habituali.

I.

Ingens malum est, peccati reum esse; sed malum longè majus peccato assuevisse: facile è peccato nos eripimus, ubi necdum ei assuevimus: Mille sunt causæ, ob quas id cordi etiam corrupto non placet; sed peccandi consuetudine non facile nos expeditus. Quàm difficilis est
ho:

hominis peccato jam affueri ad bonam December.
 frugem reditus? quàm rarus hic est? si-
 quidem is ordine gratiæ spectato, spe-
 cies quædam est prodigij descripti per re-
 surrectionem Lazari, qui plures jam dies
 erat sepultus, & semi-putrefactus. Con-
 suetudo quædam altera natura est, inquit S.
 Bernardus. Reliqua omnia mutantur;
 raro autem natura, & peccandi consue-
 tudo. Omnes ferè homines juxta naturæ
 suæ propensionem agunt, & in vitæ suæ
 ratione proclivitatem peruersarum sequ-
 untur consuetudinum. Id, quod juxta,
 naturalem inclinationem agitur, facile
 agitur, nec labore constat: si quis pec-
 cato affuetus est, facile id committit, &
 quasi aquam, iniquitatem bibit. Ubi
 naturæ impulsu agitur, absque attenta
 consideratione agitur: sed ipse considera-
 tionis defectus adeò non excusat peccato-
 rem, ut potiùs sceleris reum agat; quòd
 defectus iste è voluntaria peruersitate na-
 scatur.

II. S. Augustinus peccandi consuetudi-
 nem appellat captiuitatem sub imperio
 peccati, & diaboli; durorum sanè & cru-
 delium dominorum: *Suspirabam, inquit, 9. Conf.*
ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea volun-
tate. Quasi dicat: gemebam sub probro.
 la

Decemb. sa perversæ meæ consuetudinis servitate; hostis meus fabricatus fuerat è peccatis toties à me frequentatis velut è toridem annulis catenam, qua voluntatem meam imperio suo tenebat subjectam. Conabar identidem in libertatem me assere, sed prava consuetudo conatus meos eludebat; & velut ipsam mortem formidabam positos sceleratis meis consuetudinibus obices, qui me assidue mori cogebant; sed malum, quod jam in assuetudinem abjerat, plus virium in me habebat, quam bonum, ad quod me trahi sentiebam, & quò magis conversionis meæ tempus appropinquabat, eò magis experiebar honorem meum duplicari. Augustinus catenas suas denique rupit; sed quanti id ei non stetit? quantis conatibus ad id præstandum opus non fuit? ipsius conversio miraculum fuit gratiæ adeò inusitatum, ut illius festa dies ab Ecclesia celebretur. Visne spem tuam super huiusmodi prodigio firmare? annon tutius est, peccandi consuetudinem prævertere, cum eam superare adeò difficile accidat?

III. Peccati consuetudo speciem quandam necessitatis affert illud committendi. Ingens infelicitas est, peccare posse; sed major, funesta ista potestate uti; omni-
um

um verò infelicitatum maxima est, non December.
 posse non peccare; atque hic pravæ con-
 suetudinis partus est. *Ossa ejus, inquit Job* Cap. 10.
 (de homine peccatis assueto differens) *im-*
plebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo
in pulvere dormient. Illis se expedire nun-
 quam poterit, sed per totum vitæ cursum
 eum comitabuntur, & ad tumulum usque
 sequentur. A pravo desiderio, inquit S.
 Augustinus ad actionem flagitiosam tran-
 situr: actio sæpius iterata cupiditatem
 roborat; cupiditas roborata in consue-
 tudinem vertitur, & consuetudo in fu-
 nestam peccandi transit necessitatem; &
 quidem in necessitatem, quæ nos culpâ
 non liberat; cum non sit absoluta, sed ex
 abusu, quem admisimus, libertatis no-
 stræ oriatur, dum in omnis generis pecca-
 ta nos implicuimus. Misera sanè neces-
 sitas, quæ nos infeliciores reddit, quin
 minùs sceleratos nos reddat, quam præ-
 venire potuimus, sed eâ nunc extricare
 nos haud valemus.

Time peccatum, sed magis peccandi con-
suetudinem: atque omnibus viribus eam præ-
vertere contende; si enim eam contraxeris,
conatus tui ad eam superandam inutiles forsân
erunt.

Si

December. Si mutare potest Æthiops pellem suam
 - - - & vos poteritis bene facere, cum
 didiceritis malum. *Jerem. 13. 23.*

Dum consuetudini non resistitur, facta
 est necessitas. *Aug.*

DIES X.

De Astutia Diaboli In Occul-
 tandis laqueis, quos castitati
 tendit.

I.

Asmodæus animum hominis alicujus
 verecundi, Deumque timentis occupa-
 turus, Belli ducem propemodum imi-
 tatur, qui abjectâ spe, arcis cujusdam vi
 expugnandæ, clandestina molitur consi-
 lia cum ijs, qui in ea degunt: sic Asmo-
 dæus certis hominis affectibus in speciem
 utcunque innocentibus, vel certè de fœ-
 dere cum ipso inito minimè suspectis uti-
 tur, securus, eos sibi favere: cum qui-
 bus, ubi commercium injit, cor minus
 sibi invigilans brevè intrabit, & certissimè
 in suam rediget potestatem. Hi affectus
 sunt inanis gloriæ studium, curiositas, &
 arrogantia. Quid hisce animi morioni-
 bus

bus minùs periculosum? vel certè, quid
minorem, quàm illi, cum peccato libi-
dinis affinitatem habere videtur? hi ta-
men Asmodæi regnum in hoc mundo sta-
biliunt.

II. Quoties amor inanis gloriæ, qui, ut
videtur, fœminis ad conservandam suam
pudicitiam servire deberet, eisdem fune-
stus est? hanc gloriã, si qua fœmina
ambit, viris placere ardentè desiderat;
si verò jis placere desiderat, amari non
horret; & si amari cupit, non multùm
abest, ut & ipsa amet. Cor, quod sic
comparatum est, castum satis jam non
est. Præterea, si qua fœmina gloriæ au-
cupandæ valdè est avida, quàm facilè se
exponit illi, qui suis lenocinijs ejus vani-
tati blandiri novit! quàm difficile ipsi ac-
cidit repellere virum, cujus amor glorio-
lam aliquam ei conciliat, & cujus meritum
utilitatis aliquid sibi quoque asserre arbi-
tratur; quamvis ei probè perspectum sit,
illius consilia adèò insontia non esse. An
verò casta esse potest, si hæc tolerat, non
ignara hominis istius intentiones minùs
esse castas? sed demus, ipsam esse castam,
potestne esse penitus innocens? fierine
potest, ut scelerata non sit, cum viro pla-
cere cupit, cui scit, se placere non posse,
quin

December.

quin ipsum reddat culpæ reum? possuntne sine magna perversitate tolerari, vel quaeri commercia viri, quibus desideria, spēsque minus legitimas nutriri scimus?

Alter affectus, qui non majorem habere affinitatem videtur cum peccato libidinis, aditum nihilominus in tot corda aperit, est curiositas, quæ impellit ad lectionem librorum periculorum. Innocentiæ, & puritati tot juvenum perniciosius nihil est, quam libri amatorij, qui sub obreatu expoliendæ linguæ mores corrumpunt, & per Spiritûs, pietatis, timoris Dei, & puritatis animi jacturam, quæ hujusmodi lectionum fructus est, ad castitatis jacturam paulatim præparant.

Tertius affectus, cui non plus tubesse videtur periculi, quique minus commercij cum peccato libidinis habere censeretur, est nimia sui fiducia. Hæc tamen fœminas, & puellas frequentissimè ad peccatum impellit: de virtute sua multum sibi pollicentur, neque periculosissimas occasiones formidant; sed in eas temerè se conjiciunt, in jis absque præcautione versantur; & hanc ipsam ob causam in peccatum se precipitant. Omnia timenda, ubi nihil

attent-

attendendum, quò plus ei tribuimus. *December.*
Aufer à me, Domine, hanc arrogantem
securitatem, quæ juxta Verbum tuum,
lapsus proximi signum, & certissima cau-
sa est. Ah! si toties lapsus sum, idèd
factum est, quòd me lapsurum esse non
credebam.

*Statue tribus hisce animi affectionibus ma-
gnopere diffidere, quæ forsàn periculosas fore
credidisti, stude eas impugnare, & vincere.*

Contritionem præcedit superbia, &
ante ruinam exaltatur Spiritus. *Prov.*
16. 18.

Utilius est, si speremus, nos posse de-
linquere. *Tertull.*

DIES XI.

Quomodo Evitari Possint Laquei Asmodæi.

I.

Sanctorum quidam multitudine laqueo-
rum, quibus undique cingebatur,
territus à Deo sibi indicari enixè petijt,
quâ ratione ab ijs tueri se posset? fugien-
do, ei responderetur: *Fuge, fuge; sed fu-
ge citò, & fuge longè.* Primò itaque fu-
gien-

December,

giendum : si quis enim in laqueos incidit, captus est : unicum proin medium ijsdem se non implicandi est, eos vitare ; neque evitantur, nisi procul ab ijs recedendo ; nec ab ijs receditur, nisi fugiendo. Animi nostri generositas, ubi de libidine sermo est, fugiendo se prodit : cum hoste tam periculoso conflagere, nisi eum vitando, non possumus ; neque victoriam nobis polliceri, nisi eum timendo, nobisque cavendo. Fugiamus proin libidinis occasionem, si ejus peccatum evitare cupimus : ea si proxima sit, in necessitatem vertitur : Nulla salus absque pœnitentia ; nulla pœnitentia absque separatione à peccato, nulla separatio à peccato, nisi proxima viteretur occasio ; cui tanta cum peccato intercedit affinitas. Si occasio non est proxima ; fuge, ne proxima fiat ; hæc præcautio tam utilis est, ut ad necessitatem accedat.

II. *Fuge citò.* Sed non est malum, inquis, vel certè malum modicum. Si malum nondum est, fuge, ne malum fiat : si malum est modicum, fuge citò, brevè enim evadet magnum : maxima incendia initium capiunt à scintilla, si ea non illicò fuerit extincta. Gravissimi lapsus non rarò nascuntur ab incauto aspe-

ctu,

Decembere

ctu, ut Davidi contigit; qui gravissimè deliquit, quia oculos à forma periculosa non statim avertit. Quàm funestum aliquoties fuit animabus innocentibus, vel unicum verbum ambiguum, à quo mentem suam non illicò averterunt? Maxima flagitia incipiunt à parvis licentijs, quæ maturè non fuère repressæ. Verùm, si viderem, inquis, periculum jamjam imminere, acturum fugerem. Imperare tibi non potes, ut fugias, ubi peccato non nisi filo alligaris, quomodo id fugies, cum rudente eidem fueris adstrictus?

III. Tertiò, fugè longè. Si fax extincta, sed adhuc fumans quantumvis obiter flammæ denuò admoveatur, mox iterum accenditur: sic comparatum est cor tuum: amove id, quantum poteris, à rebus, quæ id inflammare possunt, si non vis, ut rursus accendatur. Filius Dei non contentus nobis dicere, oculum nostrum eruendum, si is nobis peccandi causa sit; sed etiam longè abijciendum. Proiice abs te. At, iste homo, inquis, charissimus esse mihi debet: an oculo tuo charior tibi est? Servator tibi præcipit, hunc ut eruas, si occasionem peccandi tibi præbet. Sed, valde durum est ab illo me separare, quem

Matth. 5
29.

R 2 plu.

December.

plurimum amo; verum, an non durius tibi accidet, æternum à Deo tuo separari? alterutrum statuendum est; medium teneri non potest. Sed est homo, cui magnopere sum obstrictus: an tantopere ei obstrictus es, ut Christo? an ille sanguinem, & vitam suam pro te dedit? & qui homini illi obligatus es? is te exponit æternæ infelicitatis incurrendæ discrimini. An omnes diaboli plus mali afferre tibi possunt? sed homo est, à quo multum mihi sperandum, vel timendum. An omnia tibi ab eo speranda, vel timenda? an is tibi, quemadmodum Christus, Beatitudinem æternam promittit? an sempiternam tibi minatur miseriam? *nolite*, inquit

Matth. 16.

Servator, timere eos, qui corpus possunt occidere: sed timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.

Statue fugere omnes occasiones libidine peccandi, easque citò fugere; hac enim in re nihil magis timendum, quàm non timere.

Quantus ignis quàm magnam silvam incendit. Iac. 3. 5.

Ecce retendit ante nos laqueos infinitos; sed tu, Domine, libera nos à laqueo venantium. Aug.

DIES



DIES XII.

De Restitutione Boni Alieni.

I.

Facilius nihil est, quàm bonum alterius invadere; nihil verò difficilius, quàm illud restituere. Cupiditas, necessitas, omnes ferè animi nostri affectiones, sexcentæ falsæ rationes ad illud usurpandum nos impellunt; & hæc omnia etiam conspirant ad nos ab illius restitutione impediendos. Conscientiæ hac super re angores vel suffocamus, vel debilitamus lumina, quæ illa nobis suppeditat; rationum pondus, quæ ad restitutionem nos urgerent, speciosis obtentibus eludimus. Necessitas quædam extrema, qua nos premi credimus, impotentia imaginaria, quam afferimus, jus existimatum conditioni nostræ consulendi, præscriptio, quam nobis absque ratione persuademus legitimam esse, cura propulsandi damni ob injurias, quas nobis illatas esse fingimus, falsa quædam pietas, quæ nobis persuadet, conservari posse liberorum nostrorum fortunæ boni alieni impendijs, vani sunt ob-

R 3

ten

December tentus, quibus ad nos à boni alieni restitutione eximendos utimur; sed hæ rationes ab hac obligatione nos non liberant. Hi obtentus inutiliter solari nos, & homines decipere, non item coram Deo, culpâ liberare nos possunt.

II. Etsi bonum alterius restituere tam difficile sit, non minùs tamen necessarium est, id præstare. Difficultas hujus obligationis necessitatem haud minuit, nec labor, quem experimur, eidem satisfaciendi eâ nos liberat. Cupiditas, animi affectiones, & imaginariæ necessitates nostræ non sunt rationes legitimæ contra rationes adeò efficaces, quæ ad restitutionem nos obligant: vani nostri prætextus legi à natura insitæ, à Deo, & hominibus præscriptæ, quæ aliena restituendi onus imponunt, obsistere non valent. Ecclesia, tametsi magnam habeat potestatem, ea tamen eò usque se non extendit, ut ab hoc onere nos reddere immunes queat: qui enim id posset, cum Deus, quantumvis omnipotens id non possit? potest is quidem boni alieni dominium transferre, cum illius Dominus sit; sed id restituendi obligatione reddere eximium me non potest, quamdiu bonum erit alterius. Crede, te plus posse, quàm Deum, tu, qui
for-

forſan imperare tibi reſtitutionem non Decembes
potes?

III. Cùm bonum alienum Domino ſuo reddere adedò neceſſarium ; id verò præſtare tantæ ſit difficultatis, facillimum juxtà, ac tutiſſimum eſt, nemini quidquam auferre. Bonum alienum, ubi id noſtro permiſcerur, veluti nobis proprium ſpectare ſolemus. O quot homines conqueruntur de iis, à quibus ad expungenda debita urgentur ! diceres, injuriam illis fieri, cùm juſtis licet creditorum poſtularis ſatisfacere debent. In numero inimicorum habent illum, qui ſe eis amicum eſſe abundè demonſtrârit, bono ſuo, illorum gratiâ, aliquamdiu ſe ſpoliando, ſi eo perpetuùm privari non velit. Credi poſſet ; partem aliquam corporis eis abſcindi, ubi reddere jubentur id, quo ut proprio gaudendi conſuetudinem contraxêre : O quàm multos invenire eſt, qui in iſtis etiam mortis confinibus imperare ſibi non poſſunt, ut aliena reſtituant, quamvis ea illo temporis articulo ſecum auferre minimè poſſint : ſed liberis ſuis cû maledictione divina in hæredes iniquos erupturâ relinquunt, & ſibi æternam damnationem accerſunt. Viſne hoc pretio aliena retinere ?

December. *Inquire in teipsum, quin tibi blandiaris, ut videas, annon bona aliena habeas; eorum enim, qui nihil eorum habeant, pauci inveniuntur. Et si qua habes, de medijs ea restituendi tibi provide.*

Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 27. 21.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Aug.

DIES XIII.

De Exercitio Pœnitentiæ.

I.

EXercitiò Pœnitentiæ nihil magis necessarium, & nihil eò rarius est: Plerique illud ad cœnobìa ablegant, rati, id non nisi religiosi instituti sectatoribus convenire. An igitur pœnæ debentur infontibus potius, quàm nocentibus? illi, qui in religioso vivunt ordine, ultrò pœnitentiæ exercitium non rarò in se suscipiunt, cum ii, qui prophana tractant, pœnitentiæ se subijcere obligentur. Alij sibi imaginantur, pœnitentiam nullis, nisi gravium flagitiorum reis esse necessariam; at paucos in mundo invenire est, qui-

quibus ea non sit opus. *D. Augustinus* *December.*
vir tantopere à Deo illustratus asseverat, non esse Christianum, qui trepidare non debeat, si mors eum opprimat pœnitentiæ praxi non exercitum. At quid hoc pœnitentiæ exercitium comprehendit? id ad preces aliquas reducere, ut plerique homines prophani faciunt, est vana spe eos ducere, & decipere, eos ad jejunia etiam inusitata, & vestes cilicinas obligare, est eis metum, & terrorem injicere, vel etiam ad desperationem adigere. Ut proin eorum nos imbecillitati accommodemus, neque tamen eorum mollitiem foveamus, pœnitentiæ exercitium eis proponimus, quod omnis generis hominibus, cujuscunque conditionis, sexûs, & ætatis sint, congruere queat.

II. Homo, qui sæculi vanitatibus deditus fuit, nunc verò à Deo permotus pœnitentiæ agendæ desiderio tenetur, ut suppleat defectum austeritatum, quæ pœnitentiam comitari solent; & à quibus amplectendis impeditur, vel à sua conditione, vel à sua imbecillitate, vel mollitie, debet. 1. Se à mundo, cujus commercium ei tam funestum fuit, aliquantisper separare, omnibus prorsus periculosis visitationibus sibi interdicere, earum

R 5

ali-

December. aliquam partem, quæ solius sunt urbanitatis, rescindere, & alias moderari. Tempus, quod hisce visitationibus impendere solebat, vel coram Christi Cruci affixi imagine, vel coram Sanctissima Eucharistia transigere debet, ad recogitandos cum Propheta in amaritudine animæ suæ annos vitæ inter mundi tumultus actæ; ut coram Deo gemat, hunc pœnitentiæ spiritum ab eo petat, animi sensus concipiat, quos Iesus pœnitens, peccatis nostris perpensis, in deserto conceperat. Debet præterea dolorem suum tam debilem unire cum dolore ipsius adeò vehementi, & cælesti Patri offerre satisfactiones Filij ipsius ad supplendos suarum defectus. 2. Occupare se debet per Spiritum pœnitentiæ exercitio operum misericordiæ, & è consilio Danielis peccata sua eleëmofynis redimere. 3. Minuere in supellectili, & vestimentis suis, quidquid luxum redolet, ut, cum cilicio indutus non sit, exemplo pœnitentium primæ Ecclesiæ; in vestibus saltem non habeat, quod modestiæ, & Spiritui pœnitentiæ adversetur.

III. 4. Per Spiritum pœnitentiæ renuntiare penitus debet omnibus periculosis animi relaxationibus; quales sunt choreæ, spectacula, sibi que subtrahere

po-

potissimam quoque innocentium oblecta-
tionum partem : quia multas earum sibi
permisit, quæ infantes non erant. 5. Vitare
immoderatas in alimentis delicias 6. Per Spi-
ritum pœnitentiæ submittere se cunctis
obligationibus asperis, & laboriosis con-
ditioni suæ annexis. 7. E consilio directo-
ris sui vivendi methodum sibi præscribere,
quam exactissimè server, ad expiandam
justò solutiorem vitæ rationem, qua vi-
xit hactenus non nisi è naturæ impulsu a-
gens, nullique se submittere volens. 8. La-
bori, vel operi vacare, ut se decreto sub-
ijciat justitiæ divinæ, quæ hominem, ut
primùm peccati reum se fecit, ad laborem
condemnavit. 9. Seipsum, & nativas
corporis infirmitates, naturæ suæ inæqua-
litates, conscientiæ angores, animi mo-
lestias, pœnas interiores, quibus Deus
nos affligit, lubenti animo tolerare; cum
æquum sit, ut nobis oneri simus, quia
Deo nos opposuimus. 10. Libenter se
cruci submittere, quæ nobis obvenit,
vel ab injustitia creaturarum, à justitia
Creatoris, qui rebus creatis ad nos affli-
gendos utitur, & cum Propheta dicere :
Peccavi Domine, & verè deliqui, & ut eram Job 33. v. 27.
dignus, non recepi.

December. In quocunque statu vivas, hac praxi vivæ stæ-
tue, quæ toti mundo convenit.

Peccavimus, iniquè egimus. - - - Om-
nia ergo, quæ induxisti super nos, in
vero iudicio fecisti. *Dan. 3. 29.*

Divina Bonitas maximè irascitur in hoc
sæculo, ne irascatur in futuro. *Aug.*

DIES XIV.

De Cordis Partitione.

I.

DE O quidem donare nos volumus, &
cur id non vellemus? sed nos totos
ei donare detrectamus; cor nostrum ei
consecrare cupimus, sed non integrum;
verùm id Deum inter, & mundum par-
tiri desideramus. Partitionem tam ini-
quam approbare Deus non potest, nec ho-
mines eam tolerare, neque cor nostrum
sustinere. Deus id non magis approba-
re potest, quàm supremò suò dominio se
abdicare. Hoc verò se abdicaret, si ad-
mitteret, ut quid in corde nostro lateret,
quod non totum suum esset. Non minùs
necessarium est, ut ipse finis noster ulti-
mus sit, quàm primum nostrum princi-
pium

pium : adeoque, sicut nihil in nobis esse December.
potest, quod non ab ipso proveniat, sic
nihil in nobis esse decet, quod non ipsius,
& propter ipsam fit. Velle aliquid cum
ipso in corde nostro collocare, quod illud
dividat; est ipsum inde pellere; cum ali-
quam ei creaturam æquare idem fit, ac
idolum quoddam ei sociare. Christianus,
qui cor suum partiri cupit, majoris crimi-
nis reus est, quàm idololatra aliquis. Ido-
lolata enim rem creatam adorat, quia
Creatorem non agnoscit; verùm si Chri-
stianus, qui eum cognoscit, ipsum crea-
turæ æquat, quæ majorem ei injuriam in-
ferre potest? Deus Philisthæos toleravit,
licet idololatræ essent; sed, ubi arcam in
eodem altari cum Dagon statuere vole-
bant, Deus idolum deiecit, & terribi-
lem de idololatræ vindictam sumpsit.

II. Hanc partitionem neque homines
tolerare possunt. Omnes quantumcun-
que injusti sint, eam improbant, neque
æquitatis, & sinceritatis defectum igno-
scere nobis possunt: at defectum hunc in-
currit, qui duplici corde est: idcirco mi-
nori odio prosequimur pravi exempli ho-
minem, quàm hypocritam, qui se par-
titur, & exteriori virtutis speciem Deo
acceptam esse cupit, dum, quod in ani-
mo

December. mo later, effrænatis suis cupiditatibus addicit. Hujusmodi homines, qui lætariacere Deo, & mundo volunt, plerumque neutri parti satisfaciunt, quia nec lætis pro Deo, nec lætis pro mundo agunt; cùmque eos conciliare cupiunt, utrumque offendunt: propterea nihil in mundo adeò infame est, ut fallax Dei servus, videlicet homo, qui Deum inter, & mundum partiri se cupit; quemadmodum enim utrique suspectus est, sic uterque æqualiter ei diffidit. Deus eum transfugam, mundus speculatorem reputat, ejus oblequia aspernantur, nec eorum rationem habendam arbitrantur. Homines probi eum cum horrore intuentur, quia virtutem, quam profiteri videtur, infamat. Homines mundo addicti eum aspernantur, quia virtutem simulat, ut se ab ipsis distinguat; cùm reapse amplectatur vitium, quod eum cum ipsis confundit; magis proin contemnendus, quàm solutioris vitæ homines, qui saltem ob pravitatis suæ confessionem apertè agere videntur.

III. Cor hominis divisionem hanc Christum inter, & mundum tolerare non potest; cùm eorum axiomata, & propensiones adeò inter se contraria sint, ut
con-

conciliari non valeant. An quidquam
magis adversatur axiomatis Christi, quàm
axiomata mundi? Christi pronuntiarum
est, Beatos esse pauperes; mundus eos
infelices esse censet. Christus hortatur,
ut etiam pallium cedamus ei; qui tuni-
cam nobis auferre cupit, potiùs, quàm,
ut cum ipso iudicio contendamus. Mun-
dus verat, ne quidquam de nostris com-
modis remittamus. Christus vult, ut
injurias condonemus; Mundus vult, ut
eas ulciscamur. Christus discipulis suis
mandat, ut omnibus se postponant; &
ultimum locum occupent; Mundus se-
ctatores suos docet, supra omnes sese ex-
tollere, sibi que persuadere omnem viam
bonam esse, quæ ad sublimia perducit.
Sed & illorum propensiones non minùs,
quàm axiomata sibi invicem adversantur.
Christus paupertatem, cruciatum, sui de-
pressiones æstimavit, amavit, & am-
plexus est; divitias, voluptates, hono-
res, & quidquid speciosum erat, con-
tempnit, fugit, & cum horrore aspexit,
eosque condemnavit, qui similia ama-
rent; Et mundus divitias, voluptates, ho-
nores, sublimitates æstimat, immoderatè
amat, cupidè conquirat. An inveniri
possunt propensiones magis contrariæ?

Matth. 5.
v. 40.

an-

December. annon potius lumini cum tenebris conveniret, quàm Christo cum mundo? tu tamen id intendis.

Scrutare cor tuum, ut videas, an id divinum non sit; & statue id totum penitus Deo donare: sin minus, nulla ejus pars ad Deum spectabit.

Divinum est cor eorum; nunc interibunt; ipse confringet simulacra eorum.
Osee 10. 2.

Sufficis tu DEO, non tibi sufficit DEUS.
Ambr.

DIES XV.

De Infelicitate Peccatoris in rebus adversis.

I.

PEccator dupliciter miser est in rebus adversis, tum ob malum, quod patitur, tum ob modum, quo id patitur: si quod infortunium incurrat, vel bonorum suorum, vel hominis cujusdam, quo tanquam fulcro nitebatur, jacturam faciat; absque levamento, absque solatio patitur, & vix non ad desperationem adigitur. Unde namque levamentum, &

sq

solatium peteret? an è recordatione eorum, quæ transiêre? hæc omnia eum perplexum reddunt; cum videat tot labores, quibus inutiliter se impendit: tot scelera, quæ admittit, sine ullo alio fructu, si confusionem excipias, quæ ipsi remanet, & funestam forsan desperationem. An ex animi sensu de præsentibus? hæc ipsi sunt continua doloris causa ob recordationem mali, à quo cogitationem suam avertere nequit, cum fulciri fide non possit, utpote, quæ in ipso debilis est, nec à gratia divina, qua privatus est, roborari, nec ab unctiōe Spiritûs sancti, quæ omnes dolorum amaritudines dulces reddit, solatium, & levamen accipere, cum eâ se indignum reddiderit. An aliquid horum quæreret in consideratione futurorum? Ah! isthæc consideratio ipsius afflictionem, & desperationem ad extrema deducit, cum in illa videat, omnia sibi metuenda; vita ipsius perversa ei ansam præbet credendi, se his malis temporaneis non liberandum, nisi ubi mala æterna fuerit ingressus.

II. In quam igitur partem peccator se verteret, adversâ suâ fortunâ obrutus? an à se ipso exhibit, inquit S. Augustinus, opem quæsiturus? *At foris ablata sunt omnia,*

S

omnia,

December.

December. *omnia, non est, quò exeat, quia dura sunt.*
 An ad Deum confugiet? Ah! eum vel non cognoscit; vel exiguam Potentiæ, & Bonitatis ipsius idæam habet. Qua igitur ratione fiduciam suam in eo collocabit? Verùm, tamen ad ipsius confugeret opem, an non causam timendi haberet, ne ab eo repelleretur illis verbis, quibus perfidi

